

E.H. num. 91. 1736, 6 10

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
HIS
QVAE IN VLTIMA VOLVN-
TATE PER SCRIPTVRAM PRI-
VATAM DECLARATA PIIS
CAVSIS RELINQVNTVR

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE COMITE SAYNAE
ET WITTGENSTEINII RELIQVA

P R A E S I D E

IO. CASPARO HEIMBURGIO D.

PROFESSORE PANDECTARVM ORDINARIO TRIBVNALIS SERENISSIMORVM
DVCVN SAXONIAE QVOD IENAE EST NEC NON FACVLTATIS IV-
RIDICAE ET SCABINORVM COLLEGII ADSESSORE

ERVEDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT
PRO LICENTIA

AC SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS

DIE XXII. DEC. A. O. R. MDCCXXXVI

A V C T O R

GEORGIVS PHILIPPVS RVPPELIVS

PALATINO - GRVNSTADIENSIS.



IENAE LITTERIS HORNIANIS.

DIRIGITUR IN RIVACALIS INTERDICA

HIS

QVAE IN VLTIMA VOLVN

TATE PER SCORNTIAM PI

VATAM DECORATA RUS

CAVIS ELLINGVITVR

SEMPER IN RIVACALIS INTERDICA

DOMINO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CVI DEI MO HENRICO

CONSPECTVS

TOTIVS

DISSERTATIONIS.

- §. I. *Que ad piam causam relicta dicantur.*
- §. II. *Que scriptura privata sit.*
*An voluntas ultima scripta publica auctoritate non mun-
 dita species scripturæ private sit.*
- §. III. *Iure naturali scriptura privata de obligatorio negotio
 concepta valet, invalida est, que ultimam voluntatem
 præ se fert.*
*Tangitur questio, an ultima voluntas scripta in consci-
 entia obliget.*
- §. IV. *Fundamentum valoris scripturæ private in quo positum
 sit iure naturali.*
Quenam certitudinem scripturæ private efficiant.
- §. V. *Ius arbitrarium probat ultimas voluntates, sed scri-
 pturam privatam diversimode considerat.*
- §. VI. *Nos iuris romani & canonici præcepta circa scriptu-
 ram privatam in pie causæ favorem confectam spe-
 ctamus.*
- §. VII. *Iure Theodosiano sola scriptura privata in testamen-
 to privato sufficit.*
- §. VIII. *Iure Iustiniano testamentum ad pias causas in scriptu-
 ra privata conditum sine testibus valere nonnullis vi-
 detur.*
Rationes adfert præcipue.

) (2

§. IX.

- §. IX. Sententia negatur allatis rationibus.
Rationes dissentientium refutantur.
- §. X. Summa l. 1. C. de sacrosf. eccles. sistitur.
Fit exinde regula.
- §. XI. Iure canonico ob c. 11. x. de testam. in testamento ad
p.c. per scripturam privatam condito testes requiri putant.
- §. XII. Sententia capituli indagatur.
- §. XIII. Ex ea colligitur per scripturam privatam fieri di-
spositionem ad pias causas posse.
- §. XIV. Quod argumento ex conciliorum decretis, ad quæ Ponti-
fex cap. 11. x. de test. provocat, desumpto confirmatur.
- §. XV. Iure naturali plus scripture quam testibus tribuitur,
adeoque decretorum statuta, dum scripturam probant,
censuram non merentur.
- §. XVI. Dicitur de axiome, quod testamenta ad pias causas
iure nature iudicentur.
- §. XVII. Refellitur Schilterus axioma reiiciens.
- §. XVIII. Regule, quod nemo pro parte testatus & intestatus
decedat, & ea, quæ ab initio non valent, ex postfacto
non convalescant, in dispositione ad pias causas non ob-
tinent.
- §. XIX. Pia causa in certa hereditatis parte instituta pars re-
liqua ad heredes ab intestato pertinet.
- §. XX. C. 11 x. de testam. in terris imperii usu fori probari
ostenditur.
- §. XXI. Dispositio ad pias causas scripta & subscripta a testa-
tore sine testibus valet.
- §. XXII. Idem est, si testator eam sua manu scripsit, quamvis
non subscripserit.
- §. XXIII. Testamentum ad pias causas aliena manu scriptum
& a testatore subscriptum sine testibus validum est.
- §. XXIV.

- §. XXIV. Non valet, si ab eo, qui nec legere nec scribere
præter nomen suum aliquid potest, subscriptum.
- §. XXV. Idem de subscriptione coeci dicendum.
- §. XXVI. Pragmatici admittunt testamenti speciem, de qua §.
24. dictum, si de prælectione testatori facta constat.
- §. XXVII. Dubium de manu testatoris exortum eorum, qui-
bus manus nota est, testimonio eximitur.
- §. XXVIII. Wammesii dubia contra §. 21. 22. & 23. persol-
vuntur.
- §. XXIX. Explicatio §. 1. tit. 7. p. 3. iuris Palatini.
- §. XXX. Non valet testamentum ad pias causas scriptum, si
testator declaravit, se nolle, ut ea ante valeat quam
adhibuisset notarium, vel iudicem, idque factum non est.
- §. XXXI. Valet autem, si testator modo probationis causa no-
tarium vel iudicem adhiberi voluit.
- §. XXXII. Dubia remonentur.
- §. XXXIII. Testamentum, quod ad voluntatem, imperfectum
invalidum est iure Romano.
- §. XXXIV. Iure canonico valet, modo ea, quæ pie causæ re-
linquuntur, sufficienter declarata sint.
- §. XXXV. Subscriptio specialis in testamento ad pias causas
scripto privato non requiritur.
- §. XXXVI. Dubia resolvuntur.
- §. XXXVII. Subscriptio nomen familiæ continere debet.
- §. XXXVIII. Exceptio a regula.
- §. XXXIX. Sigillum appositum subscriptionis loco non est.
- §. XL. Nisi in præsentia aliorum subsignatio facta.
- §. XLI. Dies in testamento ad pias causas scripto privato non
requiritur.
- §. XLII. Nec locus.

- §. XLIII. Nec ut eodem tempore scriptio facta sit.
- §. XLIV. Nec ut clausum sit testamentum ad pias causas necesse est.
- §. XLV. Testamentum ad pias causas aliena manu scriptum & subscriptum ac in arca eius, qui auctor dicitur, repositum non valet.
- §. XLVI. Idem est, si testamentum ad pias causas aliena manu scriptum & non subscriptum est, quamvis testis iurato adfirmet, se mandato testatoris illud scripsisse.
Responsum fac. Iur. Ien.
- §. XLVII. Pia causa in testamento scripto sine testibus institui & substitui potest.
- §. XLVIII. Etiam per verba enuntiativa.
- §. XLIX. Ex testamento ad pias causas in scriptura privata condito legata debentur.
- §. L. Etiam si heres in eo non sit institutus.
- §. LI. Vel nulla sit heredis institutio vel irritum vel destitutum sit testamentum.
- §. LII. Regule iuris Romani obijci contra dicta non queunt.
- §. LIII. Legata in scriptura privata, qua pia causa heres instituta est, extraneis relicta non valent.
- §. LIV. Provinciali lege legatis extraneo per testamentum, in quo pia causa est instituta, relicta valor tribui potest.
Illustratur ex iure Palatino.
- §. LV. Usus fori in hac questione.
- §. LVI. Si in testamento privata ad pias causas scripto extraneus heres dicitur & legata pie cause relinquuntur, heredis institutio invalida est; hæc vero valent.
- §. LVII. Fideicommissa particularia & universalia in testamento ad pias causas scripto privato relinqui queunt.
- §. LVIII. Nec non donationes mortis causa.

§. LIX.

- §. LIX. *Prodigus ad pias causas per scripturam privatam testatur.*
- §. LX. *Mente capri dispositio ad pias causas in scriptura privata facta non valet.*
- §. LXI. *Filiusfamilias, si pater consentit, in scriptura privata de rebus profectitiis & adventitiis ad pias causas testari potest.*
- §. LXII. *Dubia.*
- §. LXIII. *Solutio.*
- Explicatio c. 4. de sepult. in 6.*
- §. LXIV. *Masculus ante completum annum decimum quartum in scriptura privata ad pias causas testari non potest.*
- §. LXV. *Dubia solvuntur.*
- §. LXVI. *Dicta obtinent, etiamsi impubes tempore conditi testamenti pubes iudicatus sit.*
- §. LXVII. *Si impubes post pubertatem & filiusfamilias post emancipationem moritur, convalescit testamentum.*
- §. LXVIII. *An in testamento ad pias causas in scriptura privata condito clausula codicillaris intelligatur.*
- §. LXIX. *An ex re pie cause sit clausula codicillari vti.*
- §. LXX. *Que in scriptura privata piis causis relicta sunt revocari queunt.*
- §. LXXI. *Mutandi animus ad revocationem non sufficit.*
- §. LXXII. *Queritur, an per clausulam derogatoriam posteriori testamento ad pias causas in scriptura privata condito aliquid detrahatur.*
Sententiæ Ictorum de clausula derogatoria generatim spectata proponuntur.
- §. LXXIII. *Nostre sententiæ de clausula derogatoria generatim spectata.*

§. LXXIV.

- §. LXXIV. Dubiorum solutio
- §. LXXV. Solutio questionis §. 72. propositæ.
- §. LXXVI. Testamentum ad pias causas in scriptura privata conditum nudis verbis & sine solemnitate revocatur.
- §. LXXVII. Testamentum ad pias causas per posterius testamentum perfectum vel solenne vel privilegiatum infirmatur.
- §. LXXVIII. Dubia solvuntur.
- §. LXXIX. Quid iuris, si in posteriori testamento confirmatur dispositio ad pias causas prior, vel clausula illi inest fideicommissaria.
- §. LXXX. De consulta testamenti in scriptura privata facti cancellatione.
- §. LXXXI. De inconsulta testamenti ad pias causas in scriptura privata conditi cancellatione.
- §. LXXXII. Testamentum ad pias causas scriptum privatum per cancellationem posterioris testamenti, in quo extranei heredes scripti, amissum valorem recuperat.
- §. LXXXIII. De rasura testamenti ad pias causas in scriptura privata conditi.
- §. LXXXIV. De interlineatione testamenti ad pias causas privati scripti.
- §. LXXXV. De Notis & abbreviaturis in testamento ad pias causas per scripturam privatam condito adhibitis.
- §. LXXXI. Anex testamento ad pias causas in scriptura privata condito parata executio detur.



§. I.



Uum rerum usus doceat, in ^{Quæ ad piam} foro de scriptura privata, ^{causam reli-} qua piæ causæ quicquam ^{cta dicantur.} relictum est, subinde exoriri contentiones: hanc perscrutari doctrinam, pluresque congerere quæstiones operæ pretium esse putavimus.

Multa autem præfari de piis causis, earum origine ac favore merito superſedemus, ne argumenti nostri cancellos egrediamur. Id modo præmonemus, quam ad causam piam relictæ dicantur, a paucis definiri, remque sola fere exemplorum enumeratione illustrari. BRUNNEMANNVS in *iure eccles. l. 2. c. 12. a. 1.* putat, relictæ ad piam causam ea omnia complecti, ad quæ relinquenda singulari pietate commotus fuit testator, eoque pertinere ait, quæ scholis, gymnasiis, academiis, nosocomiis, orphanotropheis, nec non ad studia, ad dotem, ad alimenta, ad re-

A

dem-

demptionem captivorum, ad refectorem pontium & viarum, & in genere ad salutem publicam promovendam relinquuntur. RICHTERVS variis modo exemplis hanc rem explicare occupatur, *p. 1. dec. 28. n. 18.* MEVIVS ad *ius lub. p. 2. tit. 1. art. 13. num. 24.* item *p. 2. tit. 1. art. 7. n. 17. seqq.* legatorum piæ causæ relictorum species refert, monetque simul satis docte, quæ sint & dicantur ad piæ causas relicta, definitu hodie non adeo facile esse, postquam pietatem doctores ad quemlibet favorem extenderunt. Vid. LAVT. *disput. de magis dilecto c. 5. §. 3.* Add. LYNCKERVS *cent. 3. dec. 226.* ubi relicta sub formula: *um Gottes Willen* piis legatis annumerat.

§. II.

Quid scriptura privata?

Testamentum non publicum est scriptura privatae species.

Scriptura privata describitur, quod sit scriptura, quæ fit a non publicis personis. NICOL. de PASSER. *de script. priv. lib. 1. quest. 1. n. 5.* MASCARD. *de prob. vol. 1. quest. 6. n. 79.* Quæ quidem requisita sicuti in ultimam voluntatem in scriptis, publica fide haud munitis, declaratam conveniunt: ita dubium non est, quin ea privatæ scripturæ speciebus annumerari queat, quamvis eandem vulgo omittere Dd. soleant.

§. III.

Ius, nat. scriptio quæ negotiorum obligatorum capit, valida est, si ult. vol.

Natura scripturæ privatæ ostendit, eius valorem non ab auctoritate publica, qua tabulæ publicæ nituntur, sed aliunde potius esse repetendum. Et quidem ius privatum universale si

si spectaveris: negotia, quæ firmitatem habent, ^{continet, non} probe distinguenda sunt ab iis, quibus non inest ^{valet.} obligatio. Quod ad illa, scripturæ valorem omnino tribuit ius naturæ externum: hæc vero quod attinet, frustra, an rata firmaque sit scriptura? disputatur. Testamento igitur in scriptis condito ex naturalibus præceptis valor negatur, cum voluntas ultima firmitate non gaudeat. Alia quæstio est, an in conscientia scripta voluntas ultima obliget? Adfirmat SCHILTE-
RVS *in exerc. ad ff. 38. §. 48.* suamque assertionem ^{Tangitur} principio: ut pactum, ita & voluntas ultima fer- ^{quæstio, an} vanda, corroborare contendit, & recte eum ra- ^{ultima vo-} tiones subduxisse putamus. ^{luntas scripta} ^{in conscientia} ^{obliget?}

§. IV.

Fundamentum valoris, quem scripturæ pri- ^{Valor & cer-} vatæ naturali iure inesse diximus, in sola certi- ^{tudo scri-} tudine positum est. Ipsam vero certitudinem ef- ^{pturæ privæ} ficit complexus circumstantiarum, quibus move- ^{a quo iur.} mur, ut eum credamus auctorem, a quo scriptu- ^{nat. depen-} ra profecta dicitur. ^{deat.}

§. V.

Quamvis autem ius arbitrium, idem, quod ^{Ius pos. ult.} inest pacto robur, ultimæ voluntati adiungat: ^{vol. probat} scripturam tamen, quæ ultimam voluntatem præ- ^{eamque scri-} se fert, considerat diversimode. Interdum cer- ^{ptam diver-} titudinem in eiusmodi scriptura unice deside- ^{sissime cou-} rat, nonnunquam aliud præterea in solennita- ^{siderat.} te quærit adminiculum, idque adhiberi iubet.

A 2

§. VI.

§. VI.

In themate
nostro ius
rom. a can.
probe distin-
quendum.

Nobis iam pro instituti nostri ratione indagandum est, an positivo iure scriptura privata, qua ad pias causas fit dispositio, præter certitudinem postulet solennia. Qua quidem in re ut iura Latii a Pontificum placitis sollicitè secernantur, necesse est.

§. VII.

Ius Theod.
de testam.
scripto priva-
to.

Quod ad ius Romanum, idque Theodosianum attinet, *l. 2. tit. 4. lib. 4.* in Valentiniani novella sublata sunt testamentorum solennia, ultimaque voluntas, quam quis sine arbitris ipse sibi scripsit, rata esse iubetur. Quam quidem constitutionem in notis ad *C. Theodos.* erudite illustrat GOTHOFR. vid. *CVIAC. tom. 1. ad l. 20. ff. qui test. fac. poss.* GVL. FORNER. *select. lib. 1. cap. 28.*

§. VIII.

Iur. iust. te-
stam. ad p. c.
scriptum sine
testibus vale-
re videtur.
Rationes.

Ius Iustinianum in testamento scripto testes exigit *l. 21. C. de testam.* & regula quidem est extra omne dubium posita: id autem in quaestionem venit, num species *l. 1. C. de sacros. eccles.* illi deroget, confectaue in piæ causæ commodum ultima voluntas sine solennibus rata sit? Affirmativa placet nonnullis. Nimirum legem *l. C. de sacros. eccles.* iisdem verbis, quibus *l. 1. ff. de test. mil.* constat, conceptam esse aiunt, simulque urgent, quod eadem ita, ut aliquid largiatur, explicari debeat.

§. IX.

§. IX.

Sed contraria sententia argumentis niti-
 tur longe verioribus: diserite enim imperatores
 in l. 13. C. de sacros. eccles. de ultimæ voluntatis ar-
 bitrio piis causis favente agunt, idque ratum esse
 non volunt, nisi alia omni ratione iuris sit muni-
 tum. Quibus certe verbis satis innuunt, solenni-
 tatem legibus præscriptam civilibus in dispositio-
 ne ad pias causas omnino servandam esse. In-
 dubiam reddit hanc interpretationem l. 35. C. de
 inoff. test. ubi Iustinianus, si quando, inquit, talis
 concessio imperialis processerit, per quam libera testa-
 menti factio conceditur, nihil aliud videri principem
 concedere, nisi, ut habeat legitimam & consultam te-
 stamenti factionem: neque enim credendum est, Roma-
 num principem, qui iura tuetur, huiusmodi verbo to-
 tam observationem testamentorum multis vigiliis exco-
 gitatam atque inventam velle everti. Ex qua con-
 stitutione satis liquet, quod princeps liberam con-
 cedens testandi facultatem leges de solennibus
 præcipientes antiquare non præsumatur. Nec
 generalitate rationis legi i. C. de sacros. eccles. ab Im-
 peratore addita aliud evinci potest. Quod si enim
 de solennitatibus acciperetur, dicendum omnino
 foret, eas in aliis quoque testamentis esse abolitas,
 ac minus necessarias. Uti autem falsa est hæc ad-
 fertio legibusque repugnat: ita argumentatio,
 quam ex adiecta legis ratione dissentientes deri-
 vant, merito est reiicienda. Præterea ex l. 20. l. 27.
 tit. 2. lib. 16. C. Theodos. apparet, testatori, ut per
 ul-

ultimam voluntatem in clericos aliquid conferret, integrum non fuisse. Clerici iubentur exsortes esse ab omni, quod per epistolam, codicillum, donationem, testamentum relictum fuerit, adeo, ut legata ne per suppositam quidem personam acciperent. Nullam ecclesiam, nullum clericum, nullum pauperem hæredem scribere fas fuit. Si testatores secus faciebant, fiscus extremo iudicio relicta vindicabat. GVL. FORNER. *select. lib. 1. cap. 28.* Cum igitur Constantinus propenso in clerum animo *l. 1. C. de sacros. eccles.* licentiam unicuique concessit, ut quantum bonorum decedens ecclesiæ relinquere vellet, id ius esset: singulare omnino beneficium piis causis indulgit, adeoque regula, quæ ita leges vult intelligi, ut aliquid præstent & largiantur, obesse nobis non potest. Multo minus stringit argumentum, quod ex verbis: *liberam testamenti factionem*, quæ *pr. ff. de test. milit.* habentur, desumunt: quod enim in testamento militari solennium non habeatur ratio, non illa locutio solum, sed potius integer contextus solennitatem in ea testamenti specie sublatam esse satis indicans ostendit.

§. X.

Sententia *l. 1. de sacros. eccles. iustit.*

Nobis igitur persuaderetur, imperatorem in *l. 1. C. de sacros. eccles.* eam modo dedisse collegio catholico potestatem, ut hæreditatem legataque capere ex ultima voluntate queat. Vid. WISSENB. BRUNNEMANN. GILCK. ALCIAT. PEREZ ad *l. 1. C. de sacros. eccles.*

EX

Ex quibus conficitur regula: Romano iure ^{Fit exinde regula.} in dispositione ad pias causas scripta & solennitatem & certitudinem requiri. Defectus igitur alterutrius nullitatem parit, quæ piis causis est impedimento, quo minus ea, quæ relicta sunt, exigere queant.

§. XI.

Sed an iure canonico præter certitudinem in scriptura privata, qua piæ causæ aliquid relinquitur, solennitas quoque sit necessaria? altioris indaginis quæstio est. CARPZOVIVS ^{Tur. can. ob c. 11. x. de testam. in re- tam. ad p. c. scripto testes requiri p- tant.} p. 3. c. 4. def. 33. cum aliis eiusmodi scripturam, nisi duo testes fuerint adhibiti, invalidam esse putat, eamque sententiam communem & veram laudat, variisque stabilire contendit rationibus. Præcipuum autem argumentum ex verbis *cap. 11. x. de test.* eiusque ratione desumit.

§. XII.

Ipsam igitur sanctionem ut distincte consideremus, necesse est. Nimirum Pontifex vult, ut valeat declarata coram duobus vel tribus testibus voluntas ultima piæ causæ favorem concernens, ratione ex scriptura sacra petita, quoniam in ore duorum vel trium testium stat omne verbum. Iam vero constat in S. S. dicto de variis probandi modis non ex professo agi, nec inter probationis species comparisonem institui aliquam, sed saltem testimonio duorum vel trium testium ultimam voluntatem in piæ causæ commodum declaratam audientium fidem attribui. ^{Summa c. 11. x. de testam. enodatur.} Quamobrem

obrem scripturæ sacræ dicto, quod de voluntate per scripturam privatam declarata nihil præcipit, sententia affingi minime potest, quasi scripturæ privatæ, alio deficiente adminiculo, neget certitudinem. Sic quoque iuris canonici sanctio, quæ dictum illud pro ratione allegat, eam interpretationem non patitur. Pontifex autem, dum de ultima voluntate loquitur testium fidei unice committenda, & binos putat sufficere, satis inuit, in dispositione ad pias causas coram testibus explicanda certitudinis saltem habendam esse rationem.

§. XIII.

Ex ea colligitur testam. ad p. c. in scriptura privata fieri posse.

Quemadmodum autem in ea testamenti specie, quæ coram testibus declaratur, ad certitudinem Pontifex respexit unice: ita sane nulla ratio suppetit, quare in voluntate ultima, quæ fit in scriptis, aliud quid præter certitudinem necessarium esse statuatur. Unde concluditur, dispositionem ad pias causas literis a testatore consignatam iure canonico ratam haberi.

§. XIV.

Idque per canones conciliorum confirmatur.

De qua quidem regula in dubium venire non possumus, modo cogitamus, Pontificem non novam tulisse legem, sed ea, quæ usus iam probaverat, saltem firmasse. Sane ex capituli verbis id satis elucet. *Mandamus*, inquit Alexander III., *quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges, sed secundum*

dum decretorum statuta tractetis. Opponit Pontifex
leges decretorum statutis, & per hæc ea sine du-
bio placita denotat, quæ in conciliis de testa-
mentis ad pias causas fuerant condita. Igitur
operæ pretium est, ut ipsa conciliorum decreta
contemplemur. Sane verba *can. 1. conc. Paris. III.*
sunt: itaque placuit, ac omnibus nobis convenit obser-
vare, ut quia nonnulli memores sui per quaslibet scri-
pturas, pro captu animi, de facultatibus suis eccle-
siis aliquid contulisse probantur, quod a diversis De-
um minus timentibus eatenus mortifera callidita-
te tenetur, ut aliorum oblatio illis pertineat ad rui-
nam, nec intueri corde possint diem iudicii, dum ni-
mie cupiditatis delectantur ardore. Quicumque er-
go immemor interitus sui, res ecclesiæ, ut supra
diximus, delegatas iniuste possidens, præsumpserit
retinere & veritate comperta rem dei servis eius dissi-
mulaverit reformare, ab omnibus ecclesiis segrega-
tus, a sancta communione habeatur extraneus. Vid.
LABB. collect. conc. tom. 5. p. 814. Idem sane *can.*
2. conc. Lugdun. II. clarius adhuc comparatum est.
Conceptus autem est canon his verbis: *secundo*
loco, quia multe tergiversationes infidelium ecclesiam
querunt collatis privare donariis, id convenit invio-
labilitate observari, ut testamenta, quæ episcopi, pres-
byteri, seu inferioris ordinis clerici, vel donationes,
aut quæcunque instrumenta propria voluntate conse-
cerint, quibus aliquid ecclesiæ, aut quibuscunque
conferre videantur omni stabilitate subsistant. Id specia-
liter statuentes, ut etiam si quorumcumque religionum

B

volun-

voluntas, aut necessitate, aut simplicitate aliquid a legum secularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere, & in omnibus deo propitio custodiri. LABB. collect. conc. tom. 5. p. 848. Duo sunt imprimis in utroque canone, quæ cap. 11. x. de test. admodum illustrant. Nimirum primo generaliter caveretur in can. 2. conc. Lugdun. quod ordo legum secularium in dispositione ad pias causas servari non debeat. Per legum autem secularium ordinem solennia, quæ præceptis præscribi solent civilibus, omnino intelligenda sunt. Et in eo conincidit canon cum cap. 11. x. de test. in quo pariter statuitur voluntates in piarum causarum factas non secundum leges iudicari. Deinde in hoc canone speciatim dispositionibus ad pias causas scriptis accommodatur regula, diciturque, scripturas eo fine, ut piæ causæ consulatur, factas, ratas habendas esse. In canone 2. conc. Paris. III. quaslibet scripturas, quibus piis causis quidquam destinant testatores, admitti statuitur. Testium igitur præsentiam secundum hos canones necessarium non esse, quisque facile animadvertit. Equidem can. 14. concil. Aurelian. IV. officere dictis videtur. His enim verbis canon constat: *Quæcunque ecclesiis aut pontificibus, sub competenti ac iusto documento fuerint derelicta, ab hæredibus legitimis dignum est, ut deî contemplatione servantur.* LABB. collect. conc. tom. 5. p. 383. Vocabula iusti ac competentis documenti hic scripturam vel testium vel iudicis vel alius personæ

nae publicæ auctoritate munitam indicare, sicque canones conc. Paris. & Lugdun. restringere videntur. Verum an verbis istis iusti & competis documentis is tribui significatus queat, merito dubitamus: favorem enim prorsus singularem dispositionibus, quibus piæ causæ quid relinquitur, ab ipsis conciliis tributum fuisse, vel ipse canon. 19. eiusd. conc. Aurelian. ostendit. Igitur in canone 14. chartam variis ex rationibus suspectam forte ideo, quod a testatore nec scripta nec subscripta est, scripturæ, quæ certitudinis habet requisita, opponi existimamus. Quemadmodum autem Pontifex ad statuta decretorum provocat: ita sane verosimile est, eidem, dum sanctionem *cap. 11. x. de test.* constituit, in mentem haud venisse, ut in dispositione ad piæ causas scripta testes adhibeantur. In iis autem testamentis, quæ sine scriptura fiebant, duos vel tres testes adhiberi debuisse negandum non est. Quin certum etiam est, quod testes nonnunquam advocaverint in scriptis ad piæ causas testaturi. Id tamen indicio esse non potest, eos ex necessitate fuisse adhibitos. Potest is, qui facultate gaudet testandi minus solenniter, uti solennibus, si vult, sed ex eo, quod in subsidium vocaverit, minime sequitur, ita rem postulasse.

§. XV.

Cæterum inepta & a testamentorum natura aliena dici non queunt illa decretorum statuta, cum iure quoque naturali scripturæ partes sint præ-

Tur. nat. plus
scripturæ,
quam testi-
bus tribuitur,
adeoque de-

ereturum sta-
tura, quæ ex
æquant testi-
um & scri-
pturæ private
fidem, cen-
suram non
merentur.

præcipuæ, si eius cum testibus fit contentio. Optime id observat PUFENDORF. *de i. n. & g. l. 5. c. 13. §. 9. l. 3. c. 6. §. 16.* variisque legum germanicarum exemplis rem illustrat. Cui SCHILT. *in ex. ad ff. 22. §. 24.* calculum adiicit, atque in testimonium leges Wisigothorum allegat, quæ *l. 2. tit. ult. c. pen.* cavent, ut quicquid per manifestam & legitimam scripturarum seriem definitur, nulla unquam subordinati testis machinatione devocetur in irritum. Cum igitur & consequentiæ ex capitulo rite deductæ nec non decretis conciliorum, ad quæ Pontifex provocat, nostra sententia innititur: de ea amplius ambigendum non est.

§. XVI.

Testamenta
ad pias causas
iure nat. iur.
dicantur.

Quibus constitutis facili negotio iudicatur axioma ICtorum, quod testamenta ad pias causas non positivo, sed naturali & gentium iudicentur iure, a vero alienum non esse. LAYMANNI *iur. can. ad c. 11. x. de test.* BRUNNEM. *conf. 115. n. 28.* WAMMES. *vol. 1. conf. 389. n. 34.* MEY. *p. 8. dec. 5. n. 3.* Id. *ad ius lub. tit. 1. art. 13. n. 23.* CARPZ. *p. 3. c. 4. def. 34. n. 4.* HARTM. PIST. *l. 3. qu. 28. n. 2.*

§. XVII.

Refellitur
Schilcerus
axioma reii-
ciens.

Repugnat quidem SCHILT. *in ex. ad ff. 28. §. 16.* huic sententiæ, putatque ex gentium quidem iure causas & controversias inter gentes, privatorum vero ex suæ cuiusque civitatis legibus decidendas esse. Verum hac in parte censuram non merentur ICTi. Nihil aliud enim hoc axio-

axiomate indicant, quam quod Pontifex ea modo in dispositione ad pias causas scripta necessaria putaverit, quæ in scriptionibus de negotio obligatorio confectis de iure naturæ requiruntur. Nec incongruum est, dicere rem ex naturæ præceptis esse iudicandam, quoties iure positivo lex naturalis confirmatur, adeoque hæc iura inter se conveniunt.

§. XVIII.

Cum igitur certo certius est, regulas quod ne-
mo pro parte testatus & intestatus decedere queat: quod ea, quæ ab initio non valent, nec ex postfacto convalescant; Romanorum placitis solennitatis rationem habentibus originem debere: facile est ad intelligendum, easdem in quæstionum pias causas concernentium decisione locum habere non posse.

Regula iur. rom. solennitatis testamentorum iniuncta in test. ad p. c. non valent.

§. XIX.

Quodsi ergo pia causa pro parte modo hæ-
res scripta, vel eidem legatum saltem in scriptura privata fuerit relictum, pars hæreditatis reliqua ad hæredes ab intestato perveniet. Idque extra aleam positum est, si rem rationibus adductis metimur.

Conclusio.

§. XX.

In terris imperici autem *cap. 11. x. de test. usu*
fori probatum esse testantur Icti. ILL BOEH-
MER. *in iur. eccles. l. 3. tit. 26. §. 29.* LINCK. *ad de-*
cret. l. 3. tit. 26. §. 7. BRUNNEM. *in iur. eccles. l. 3. c.*
12. §. 1. GONZALEZ, TELLEZ. *ad cap. 11. x. de*
test.

C. 11. x. de test. in terris imperii usi fori probatur.

test. MEV. ad ius lub. p. 2. tit. art. 13 n. 23. Id. p. 8. dec. 5. alique plures. Unde dubitandum non est, quin factorum in foro obvenientium decisio peti exinde queat.

§. XXI.

Testam. ad p.
c. manu testa-
toris scri-
ptum & sub-
scriptum va-
let sine testi-
bus,

Iam ipsis quaestionibus, quæ ad doctrinam nostram pertinent dicta accommodabimus. Pone igitur dispositionem manu testatoris scriptam ac subscriptam esse, & omnino circumstantiæ, quibus scripturæ privatæ innititur certitudo, ad- sunt, adeoque si hanc rem nostra regula metimur, eiusmodi scripturæ fides haberi sine testibus debet. *arg. cap. 11. x. de test. LAYMAN. ius can. ad c. 11. x. de test. n. 1. BRUNNEM. ad l. 25. ff. qui test. fac. poss. KLOCK. conf. 102. n. 127. CHRISTIN. vol. 6. dec. 39. n. 42. Ita in facultate nostra pronuntiatum fuisse, testis est RICHTERVS dec. 28. n. 15. LYNCK. cent. 5. dec. 480. STRUUS. ex 32. rh. 23. Idem de Collegiis Francosurtensis & Wittenbergensibus testatur BERG. in O. I. lib. 2. tit. 4. §. 9. n. 3.*

§. XXII.

Test. ad p. c.
manu testato-
ris scriptum,
sed non scri-
ptum valet.

Idem statuendum est, si quidem in scriptura manus adpareat testatoris, sed subscriptio desideratur: eiusmodi enim defectus scribentis voluntatem dubiam reddere non potest. *Arg. c. 11. x. de test. Non incongruum est addere argumentum, quod in hac re a testamento militari itemque ex l. 29. C. de test. ducunt. CHRISTIN. vol. 6. dec. 39. n. 43.*

§. XXIII.

§. XXIII.

Nec ambigendum erit de valore scripturæ aliena quidem manu confectæ, sed a testatore qui legere scripturam potest, subscriptæ. Arg. *c. 11. x. de test.* ILL. BOEHM. l. 3. tit. 26. LAYM. *ius can. ad c. 11. x. de test.* STRYCK. *de caut. test. c. 12. §. 3.* Certitudinem enim habere scriptura potest, quamvis non integra testatoris manu scripta sit. Nec temere præsumendum eum, qui dispositioni nomen subscripsit suum, scriptionem non legisse, cum nemo in rebus suis censeatur adeo remissus, ut supremam voluntatem, quam scriptio complectitur, nondum perlectam sua prober subscriptione.

Test. ad p. c. aliena manu scriptum & a testatore subscriptum sine cessibus validum est.

§. XXIV.

Alia ratio est scripturæ alienæ ab eo subnotatæ, qui nec legere nec scribere aliquid præter nomen suum potest. Cum enim in tali specie scriptura a testatoris literarum ignari mente prorsus aliena supponi facile queat: ea certe deficiunt, quibus fides scriptioni conciliatur, ideoque ipsa dispositio invalida merito reputatur. *arg. c. 11. x. de test.*

Non valet, si ab eo, qui nec legere nec scribere præter nomen suum aliquid potest, subscriptum.

§. XXV.

Multo magis autem dispositionis ad pias causas aliena manu scriptæ & a coeco subscriptæ fides damnatur: *Arg. c. 11. x. de test.* in incerto enim positam esse, fraudationibusque patere permultis hanc ultimæ voluntatis speciem facili apparet negotio. Movit hæc ratio Romanos, ut l. 8. *C. qui*

Idem de subscriptione coeci dicendum.

C. qui test. fac. poss. certam formam testamento coeci præscriberent. Cæterum disputatio de numero testium a coeco adhibendorum ad thema nostrum non pertinet.

§. XXVI.

APragmaticis
admittitur; si
de prælectione
testatori facta
constat.

Pragmatici scripturam ab eo, qui aliquid præter nomen suum nec legere nec scribere valet, subscriptam, per prælectionem testatori factam, si suspicione liberari censent, ideoque eam, modo de prælectione constet, ratam iudicant. *LYNCK. cent. 2. resp. 105.* Quemadmodum autem talis supponi prælectio debet, qua testes scriptionis intelligunt argumentum, de eoque deponere queunt: ita potius testibus quam ipsa scriptura in hoc casu ultimam voluntatem sustineri putamus.

§. XXVII.

Dubium de
manu testa-
toris eorum,
quibus ma-
nus nota est,
testimonio
tollitur.

Cæterum si manum forte testatoris in dubium vocant hæredes ab intestato, eorum iudicio, quibus scribentis manus est cognita, res erit committenda. Non opus est, ut hi præsentēs fuerint, ipsamque viderint schedulam scribi. Potius sufficit, si testes aliunde notam habent scribentis manum, eamque alienam non esse adseverant. Pragmaticis enim regula probatur, quod quæstione de scriptura exorta, quæ testium præsentiam non requirit, qualis est scripta ad pias causas dispositio, de manu saltem scribentis testimonium sit dicendum. *GRAT. discept. forens. tom. 1. cap. 230. n. 26. seqq.*

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Equidem ea, quæ §. 21. 22. 23. disputavimus, multis labefactare argumentis contendit WAMMESIUS. Wammes. argum. contra §. 21. 22. 23. refelluntur. *conf. 376. n. 1. seqq.* Primo putat, hanc sententiam ex sola deduci similitudine ratione, ea-que ad pias causas porrigi, quæ liberorum intuitu sancita sunt legibus. Deinde in hac quæstione non tam de rei veritate, quam de solennitatis iustitia agi existimat. Quibus addit etiam in plerisque plus favoris liberis, quam ecclesiæ, vel piæ causæ tribuendum esse, idque AUGUSTINI testimonio confirmare conatur. Ex quibus tandem infert, quod re secundum leges spectata tale holographum alio adminiculo haud munitum sine subscriptione valere non queat. Verum falsum est, quod proponit Wammesius, in sola similitudine testamenti paterni & ad pias causas vim argumenti positam esse. Nec minus aberrat a vero, dum a testamento paterno, ad testamentum piæ causæ gratia conditum consequentiam aliquam duci posse prorsus negat: in multis enim convenire manifestum est. Falso quoque proponit, quod in hac causa magis de solennitatis iustitia versetur disputatio, quam de rei veritate. Inverti hoc debet potius dicendumque veritatem in argumento nostro non solennitatem in quæstionem venire. Nec denique opus est, ut comparatio illa liberorum & piæ causæ prolixè examinetur. Res potius eo reedit, ut in summam *cap. II. x. de test.* intendamus considerationem. Cer-

C

te

te a nobis evictum est supra, Pontificem modo id velle, ut ne dispositioni ad pias causas certitudo desit. Iam quæritur, an ea in sit scripturæ, quæ absque testibus est consignata? Id sane iure canonico adfirmandum esse supra monstravimus. Addimus hoc loco, quod plus scripturæ, quam testium dictis, non sine ratione tribuant iuris naturalis Doctores. Dubiis igitur, quæ movet Wammes., liberatam nostram sententiam putamus.

§. XXIX.

Observatio
de iur. Pal.
p. 3. tit. 7.
§. 1.

Non ægre feret lector benevolus, ut aliquid de iure electorali Palatino hoc loco disputeretur. Inquirere placet, an lege electorali per scripturam privatam absque testibus condi ad pias causas dispositio queat? Ita autem lex est apud palatinos *in ord. elect. Pal. p. 3. tit. 7. §. 1.* *derwegen dann wir hiermit einen ieden den gemeinen Nutzen zubedenken ermahnet, auch die Notarien und Gerichtschreibern solches zuthun, erinnert, und da in solchen Fällen etwas vermacht oder vererbt wird, und dieselben Vermächtniß also gesreyet haben wollen, daß ob gleich mehr nicht, den nur zweien zeugen, auch unerfordert, manns oder weibsperson, dabey gewesen, dieselbe gleichwohl statt und krafft haben soll.* Equidem verba huius sanctionis non distinguunt, sed simpliciter duorum in testamento ad pias causas testium præsentiam imperant. Cum vero lege non distinguente distinguere non queat, allata constitutio de dispositione ad pias causas simpliciter præcipiens, de ea quoque specie,

cie, quam scriptio complectitur, intelligenda videtur, idque eo magis, cum præfatio Palatino iuri præmissa ius Romanum maximam partem acceptum esse loquatur. Verum nihilominus in aliam sententiam ire variis movemur rationibus. Ipsa lex ait coram duobus testibus fieri ad pias causas testamentum debere, non facit scriptæ ad pias causas dispositionis mentionem, adeoque interpretatio doctrinalis in subsidium est vocanda eiusque ope quæstio, an per scripturam privatam testari quis ad pias causas queat? indaganda. Ad ius commune autem hic respiciendum est. Et quidem, cum omnium fere pragmaticorum consensu *c. 11. x. de test.* usu in terris ecclesiæ imperiique obtineat, teste Text in *dec. pal. 34. n. 7.* regulam *cap. 11. x. de testam.* innixam hic applicandam esse, & testamentum in piæ causæ favorem scriptum, testibusque non publicatum, idem cum dispositione coram testibus facta habere robur, merito existimamus. Quibus non obest, quod electorali lege non distinguente, distinguendum non fit: non enim distinguimus, sed observamus modo, quod lex non de omni dispositione ad pias causas, sed de ea saltem specie quæ per nuncupationem declaratur, comparata fit, adeoque ad casum, quo piæ causæ in scriptis testator consulit, trahi non queat. Sententia nostra hac in re comprobatur pragmaticorum regula: quod in hac quæstione, nisi aliud per statuta locorum vel mores manifeste constet introductum,

partes ius canonicum habeat præcipuas. **TEXT.**
dec. palat. 34. n. 7. Argumentum autem ex præ-
 fatione electorali desumptum nobis haud adver-
 satur. Quamvis enim Elector magna ex parte
 præcepta, quæ ultimas voluntates dirigunt, a
 Romanis se adscivisse fateatur, exinde tamen,
 eundem etiam, quod ad testamentorum ad pias
 causas formam, Romanas adoptasse leges, haud
 consequitur. Liquet contrarium ex ipsa confi-
 tutione, cum supremam voluntatem in piæ
 causæ favorem coram duobus testibus nuncupa-
 tam ratam esse iubeat, sicque Romanorum pla-
 cita antiquet. Et præterea allatæ legis princi-
 pium satis demonstrat, quod ratione prorsus sin-
 gulari favorem piarum causarum iuvare ac ad-
 augere in animo habuerit: paragrapho enim di-
 ctæ legis secundo legata in testamento ad pias cau-
 sas extraneis relicta legislator probat, tituloque 2.
 §. 4. ea, quæ canonico iure de filio familias san-
 cia sunt, expresse adsumit.

§. XXX.

Non valet
 test. ad p. c.
 scriptum si
 testator de-
 claravit, se
 nolle, ut ea
 ante valeat,
 quam adhi-
 buisset nota-
 rium vel iu-
 dicem, idque
 factum non
 est.

Id quæri dignum, an firmitate scriptura gau-
 deat privata, si testator expresse declaravit, se
 nolle, ut ea ante valeat, quam manus accessisset
 notarii, vel iudici esset insinuata, morte autem
 præventus id non obtinuit. Et putem ineffica-
 cem esse hanc ultimæ voluntatis speciem: **GILCK.**
ad l. 1 C. de sacros. eccles. n. 25. scriptura enim pri-
 vata ideo habet fidem, quia præsumtio adest tes-
 tatore voluisse, ut absque publica auctoritate
 va-

valeat. Capi autem eiusmodi præsumtio in factò præsentì minime potest, cum declaratam in contrarium esse voluntatem ponitur. Talis igitur testatoris scriptura pro aliqua potius voluntatis conceptione, quam pro ordinatione ultima erit habenda ANT. PEREZ. *ad C. lib. 6. tit. 25. n. 33.*

§. XXXI.

Quid si testator eo saltem fine, ne testamentum ad pias causas scriptum in diversum trahi queat, iudicem vel notarium adhibere voluit? Et putem eiusmodi scripturæ, quamvis nec notario nec iudici sit oblata, fidem esse adiungendam. *arg. c. ii. x. de testam.* Ratio autem in eo est posita, quod testator minime voluerit, ut a iudicis vel notarii auctoritate sua suspendatur voluntas, sed futuris modo disceptationibus obviam ire intendit.

Valeat autem, si testator, modo prob. causa not. vel iud. adhiberi voluit.

§. XXXII.

Equidem nonnulli hanc ultimæ voluntatis speciem ratam non iudicant, nisi duo testes fuerint adhibiti, idque menti testatoris consentaneum esse censent. Verum non suppetit ratio, quare testium præsentia hic necessaria iudicetur, cum ex eo, quod testator facilioris probationis gratia advocare iudicem vel notarium voluerit, non consequatur, eum noluisse, ut sine eiusmodi adminiculo testamentum suum robur habeat. Id potius exinde manifestum est, testatorem se-
Id potius exinde manifestum est, testatorem se-
rio rem egisse, ac ne in dubium suprema volun-

Dubia removen-
tur.

tas vocari queat, cavere saltem voluisse. Firmantur hæc omnia Ictorum axiomate: quod eorum, quæ superflua forent, omisso nocere non queat. LYNCK. cent. 8. dec. 753. Eorum igitur opinioni, qui duos testes necessarios esse contendunt, locus relinqui non potest.

§. XXXIII.

Testamentum, quod ad voluntatem imperfectum invalidum est iur. Romano.

Disputari potest, an scriptio, ex qua apparet, scribentem præter ea, quæ piis causis reliquit, alia quoque disponere, forte heredem instituire vel substituere, vel extraneo legata relinquere voluisse, id autem morte vel alio præventum facto non perfecisse, pro imperfecta, intuitu eorum, quæ ad pias causas sunt relicta, habeatur? Elegans supremæ voluntatis imperfectæ exemplum ponit Iavolenus, in l. 25. ff. de test. §. is, quis testamentum faceret, inquit heredibus primis nuncupatis, secundos bis substitutum se dixerat, sed priusquam illos exprimeret, violentia morbi oppressione obmutuisset, magis coepisse eum testamentum facere, quam fecisse, itaque primos heredes ex testamento non futuros. Equidem Ictus hanc dispositionem, quod ad voluntatem, imperfectam esse nihilque ex ea deberi pronuntiat. Quæ quidem deciso, uti communi DD. sententia probatur: ita in facto, quod supponimus, voluntas eorum etiam intuitu quæ piæ causæ relicta sunt, videtur imperfecta.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Verum tamen si largiamur, quod ex Romanorum placitis testamentum in allata specie imperfectum iudicari debeat, nihilominus de iure canonico aliud erit dicendum. Nam in testamento ad pias causas ex Pontificis sententia nihil requiritur, quam ut testator in piæ causæ favorem disponens voluntatem sufficientem, quod ad ea, quæ piæ causæ collatum vult, declaraverit, *arg. c. 11. x. de testam.* Finge ergo testatorem scripsisse se velle, ut e. g. scholæ centum præstentur aurei, posteaque in eadem scriptura alia disponere cœpisse, sed non perfecisse, quod ad voluntatis causæ piæ intuitu declaratæ certitudinem nihil amplius restat. Ex quo prono alveo fluit, ea, quæ piæ causæ his relicta sunt literis, omnino deberi. *COVARRUN. tom. 1. cap. 2. de test. n. 14. ENGELII ius can. lib. 3. tit. 26. n. 20.*

Iur. can. valet modo ea quæ p. c. relinquuntur, sufficienter declarata sint.

§. XXXV.

Quod testamentum ad pias causas aliena manu scriptum & a testatore subscriptum stabile sit, supra §. 23. evictum. Id tamen adhuc explicandum restat, qua ratione fieri subscriptio debeat. Et præmonemus testamenti subscriptionem dari duplicem, aliam generalem, aliam specialem. Ad illam satis est, si testatores modo nomen exprimitur; hæc vero requirit, ut præter nominis subscriptionem suam in testamento contineri voluntatem testator declaret id que hac forte formula:

¶

Subscriptio specialis intestamento ad p. c. scripto non requiritur.

das ist mein letzter Wille, in diesem ist mein letzter Wille. Quæstionem ipsam quod attinet, in testamento ad pias causas, quod vel ipse testator mandavit literis, vel scribi iussit, generalem subscriptionem sufficere putamus. Certe ex idea generalis subscriptionis nihil, quod dubium redderet eiusmodi testamentum, depromi potest.

§. XXXVI.

Dubia resolvuntur.

Equidem in charta vacua a testatore ad alium subscripta finem testamentum ad pias causas conscribi, & ita, si generalis admittitur subscriptio, falsitatem evitari vix posse videtur. Specialis autem subscriptio pro medio habetur unico, quo testator adferre huic incommodo medelam queat. Sane ex pragmaticis haud pauci, quos vide apud BERL. *p. 1. dec. 90. n. 14.*, in testamento paterno a subscriptione speciali certitudinis rationem unice repetendam esse iudicant. Verum quamvis hæ causæ satis sint speciosæ: tamen nondum vadimonium deferendum esse putamus. Certum enim est, non ex iis, quæ fieri queunt, sed potius ex eo, quod admodum est probabile, in specie præsentis disputari debere. Iam vero vis rationum, quæ obijciuntur, in eo residet, quod possibile sit, ut in charta a testatore alio fine subnotata conscribatur testamentum. Probabilitatem autem quod attinet, quisque facili negotio animadvertit, id quidem raro fieri, ut aliquis subscribat chartæ nomen suum, eamque deinde in manus aliorum, qui quidem in ea scribere testamentum

mentum possent, venire patiat. Ea vero, quae perraro eveniunt, praesumi non debere, explorati iuris est. Leges quoque in dubio falsitatem non suspicantur, *l. 4. C. de iur. & facti ignor.* Tandiu igitur, donec contrarium doceatur, credendum est, omnia, quae in schedula etiam aliena manu scripta sunt, de mente & voluntate subscriptoris conscripta esse. Quo quidem argumento utitur BERL. *loc. cit.*, ubi in testamento paterno generalem statuit sufficere subscriptionem. Quamobrem in sententia nostra permanemus, atque modo generalem in scripto ad pias causas testamento subscriptionem requiri putamus.

§. XXXVII.

Quaestio, an subscriptio proprium subscriptoris nomen praecise continere debeat? RHE-
RIO in *diff. de necess. nom. express.* affirmanda videtur. In eo autem quaerit adferri rationem, quod de forma semper sit nominis familiae expressio, quoties quis propriam personam designare cupiat. Cui & nos, quod ad actus, qui solennitate constant, calculum adiicimus. Idemque in negotiis, quae certitudinem postulant, dicendum putamus.

Subscriptio
nomen fa-
miliae conti-
nere debet.

§. XXXVIII.

An autem sub hanc regulam cadat subscriptio, ^{Exceptio a regula.} ab eo facta, qui in nomine familiae non expresso, ab eo facta, qui in subscriptionibus illud omittere consuevit? indagandum. Et constat ita haud raro ferre rusticorum consuetudinem, ut chartis subscripturi suis saltem

D

utan-

utantur praeominibus. Sane in hoc casu, si nihil contra subscribentis disputetur manum, subscriptionem ob nominis proprii omissionem haud infirmari existimamus, idque evincitur argumento eorum, quae de *c. ii. x. de test.* differuimus.

§. XXXIX.

Sigillum appositum subscriptionis loco non est.

Id inquiri praestat, an dispositio ad pias causas scripta, cui deest subscriptio, appositumque modo est sigillum, robur habeat? Et putem non valere: abest enim certitudo, cuius in testamento ad pias causas scripto haberi ratio semper debet. Nihil certe est, ex quo dignosci queat, num a testatore, an ab alio chartae impressum sit sigillum. Quod si quis putet coniecturam tamen adesse aliquam ipsum testatorem suo obsignasse sigillo testamentum, rehero, vagam hanc & incertam esse coniecturam, quae in ultima voluntate admitti non potest. Ill. BOEHM. in *iur. eccl. prot. lib. 3. tit. 26. §. 20.*

§. XL.

Nisi in praesentia aliorum subscriptio facta.

Si adsint, qui deponant, se vidisse, quod chartae, in qua testamentum ad pias causas aliena manu scriptum est, sigillum impresse sit testator, vix est, ut de eiusmodi scriptoris dubitetur certitudine: vicem enim subscriptionis ut in hoc casu subeat subscriptio a natura testamenti ad pias causas scripti, si iuris canonici praecepta spectemus, alienum non est.

§. XLI

§. XLI.

Quemadmodum autem diei adiectio scripturae privatae haud ingreditur substantiam, HERT. Dies in test. ad p.c. scripto non est necessarius.
tom. 1. resp. 577. n. 4. GRAT. discept. forens. tom. 1. conf. 235. n. 5. KLOCK. conf. 41. n. 14. certique de scribentis voluntate esse possumus, quamvis in testamento ad pias causas dies adscriptus non sit: ita merito concludimus scriptas ad pias causas dispositiones, omisso etiam die & mense, validas reputari. Quae observatio per ea corroboratur, quae de die scribit CUIACIUS *ad l. 20. ff. qui test. fac. poss.* Adde BVRATI *decis. rot. Rom. 475. n. 3.* eaque, quae de *cap. 11. x. de testam.* supra diximus.

§. XLII.

Similis decisio est observanda de loco: huius enim adiectio scripturae privatae, nec auget nec minuit certitudinem. Unde eius omissio dispositionem ad pias causas in scriptis factam irritam non reddit. Rationes ex praecedentibus hic repetere supervacuum foret. vid. *GRAT. discept. forens. tom. 1. C. 235. n. 10.* Addatur *BERG. in suppl. ad elect. discept. forens. p. 2. conf. 30. p. 1137.* Ubi regulam format, quod in testamento, excepto paterno, diem & locum exprimi necessarium non sit. Nec locus.

§. XLIII.

Cæterum nihil refert, eodem five diverso tempore conscripta sit a testatore dispositio: certum enim est, nec testamentum solenne scriptum Nec requiritur ut eodem tempore scripto facta sit.

ex eo vitari, quod testator pedetentim suam voluntatem consignaverit. *LYNCK. cent. 5. dec. 480.* Et præterea actus unitas ad iuris civilis solennia pertinet, adeoque in ea ultimæ voluntatis specie, quæ præter certitudinem nihil aliud postulat, necesse non est. Innititur hæc decisio *arg. cap. 11. x. de testam.*

§. XLIV.

Nec ut clausum sit testamentum ad p. e. necesse est.

Nec fides scripti ad pias causas testamenti minuitur, si id clausum a testatore non sit: *arg. cap. 11. x. de test.* certitudo enim huius supremæ voluntatis ex ea quidem causa in dubium vocari non potest. Sane de solennis testamenti substantia non est, ut claudatur. *BERG. suppl. ad elect. discept. forens. p. 1. tit. 24. STRUV. ex. 32. tb. 51.* Ex quo prono alveo fluit dispositionem ad pias causas scriptam, quamvis clausa non sit, validam merito iudicari.

§. XLV.

Test. ad p. e. aliena manu scriptum & subscriptum ac in arca eius, qui auctor dicitur, repertum non valet.

Non incommode nunc disputatur, an dispositio aliena manu scripta subscriptaque, ac in arca eius, cuius nomine est concepta, reperta valorem habeat? Adfunt momenta, quæ hanc tueri voluntatem videntur. Ponitur enim testatorem talem scripturam in rebus suis servasse. Id non potest non indicio esse, eum cogitasse de liberalitate in piam causam conferenda. Accedit insignis piæ causæ favor, ex quo forte præsumendum, eundem etiam voluisse, ut ea, quæ scripta sunt in schedula, ad pias causas perveniant. Verum

rum tanti momenti hæ coniecturæ non sunt, ut eam sustineant voluntatis speciem, cuius valor iam in quæstione est. Nec enim sufficit, quod quis de rebus in piam causam transferendis sit meditatus, sed adesse signa oportet, quæ voluntatem animumque dandi ostendunt. Quæ quidem uti in hoc casu deficiunt: ita nec favor, quo pias causas instruxit Pontifex, eo porrigi potest, ut eiusmodi testamentum sustineatur. Nec voluit Pontifex, ut levis quæcunque admittatur coniectura, nec id velle potuit, cum sic ultimarum voluntatum rationem penitus evertisset.

§. XLVI.

Altioris indaginis res est, an valeat testamentum aliena manu scriptum & non subscriptum, si testis adest, qui testatoris mandato illud a se scriptum esse iurato adseverat? In duas autem quæstiones hoc thema secundum erit, videndumque primo an is, qui mandat testamentum ad pias causas conscribi, conscripta a mandatario tali dispositione, testamentum ad pias causas condidisse censeatur? Deinde an tale mandatum per mandatarii iuramentum plene probeatur? Prior quæstio neganda erit: inter testamenti factionem enim & actum, quo quis testamenti ad pias causas conceptionem alicui mandat, connexio non intercedit necessaria. Hoc illud sequi potest, sed non sequitur necessario. Potest enim fieri, ut is, qui eiusmodi schedulam conscribi mandavit, eidem testamenti robur non

Idem est, si test. ad p. e. aliena manu scriptum & non subscriptum est, quamvis testis iurato adseveret se mandato testatoris illud conscripsisse.

adiungat. Inquis probabile tamen est, testamentum in conceptionem redactum a testatore confirmari. Regero etiam verosimile est, testatorem, qui nec subscripsit aliena manu scriptæ dispositioni, nec testes advocavit, noluisse, ut valeat testamentum. Et hæc est ratio, quare præter illud mandatum, conceptionemque a mandatario confectam alio opus sit adminiculo, ex quo colligere licet, testatorem in actum deduxisse voluntatem. Quamdiu autem eiusmodi actus deficit, tamdiu talis conceptio aliena manu facta testamentum dici non potest. Quodsi quis hæc argumenta non admittenda censet, is certe omnem schedulam, quæ nullius est pretii, pro testamento habebit. Nulla sic regula opus erit nulloque criterio certitudinis. Alteram quæstionem quod attinet, nonnulli quidem, quos vide apud FARINAC. *de test. quest. 63. n. 207.* in ea hærent sententia, quod testimonium de proprio facto dictum plenam probationem faciat. Verum hæc opinio nec legibus nec legum argumentis est innixa, adeoque testi unico scriptum mandato testatoris a se testamentum esse adfirmanti, nec mandati, nec ipsius supremæ voluntatis intuitu fides habetur. GRAT. *discept. forens. tom. I. c. 183. n. 20.* Unde concludimus testamentum ad pias causas, quod in facto proposuimus, nullius valoris esse. Hinc ill. fac. iurid. Ien. hoc anno de facto consulta sequentem in modum respondit.

Hut

Hat Caia an einem gewissen Ort sich geraume Zeit aufgehalten, und ist daselbst Todes verfahren. Nach deren Ableben findet sich eine Schedul, welche dieselbe, ob sie gleich des Schreibens erfahren, weder selbst aufgesetzt, noch unterschrieben. Diese Disposition ist nach denen gewöhnlichen Formeln eines Testaments eingerichtet, auch mit der clausula codicillari versehen, fasset aber lediglich Legata in sich, deren eines ad pias geordnet ist. Es erbiethet sich darneben derienige, so den Aufsatz geschrieben, endlich zu erhärten, daß Caia ihm denselben zu versfertigen befohlen, und entstehet dabey die Frage:

Ob diese schriftliche Disposition, wenn der Verfasser endlich erhärten sollte, daß er auf der Caia's Befehl den Aufsatz zu Pappier gebracht, zu recht beständig sey, und das Legatum ad pias causas aus dieser Scriptur gefordert werden könne?

Ob nun wohl in dem Aufsatz die gewöhnliche Formulen eines schriftlichen Testaments nebst der clausula codicillari enthalten, und es daher scheint, daß auf den defectum haredis institutionis, auch andere zu einem Testament oder codicill erforderliche Stücke nicht zu sehen sey,

ILL BOEHM. *in iur. eccles. l. 3. tit. 26. §. 23.*
darneben der Verfasser des Aufsatzes endlich erhärten will, daß ihm ermeldte Caia ihren letzten Willen, nach dem Inhalt des Aufsatzes, eröffnet und von ihm, daß
er

er solchen zu Pappier bringen möchte, verlanget, nicht minder secundum ius canonicum

c. 11. x. de test.

und dessen üblichen Auslegung bewährter Rechtslehrer, in denen legatis ad pias causas allein auf des Disponentis Willen gesehen werden muß

ILL. WERN. vol. 1. p. 1. O. 21. n. 3.

folchemnach, daß ermeldte Disposition, ob sie gleich von der Caia weder geschrieben noch unterschrieben worden, zu recht beständig sey, und daher die darinnen ad pias causas legitime Summe gefordert werden könne, es das Ansehen gewinnt.

Dennoch aber und diweil zu einer jeden dispositione ad pias causas erfordert wird, ut de ea certe & indubitanter constet,

ILL. BOEHM. in iur. eccles. lib. 3. tit. 26. §. 23.

Insonderheit eine Scriptura, worinnen Legata ad pias causas geordnet werden, so beschaffen seyn muß, daß man des voluntatis in actum deductæ versichert ist,

STRUU. in synt. iur. civ. ex. 32. th. 23.

ILL. BOEHM. cit. loc.

LYNCK. cent. 10. dec. 927.

der obbemeldte auffatz aber diese Eigenschaft nicht hat, indem derselbe von der testatrice, welche doch in scriptis testiren wollen, weder geschrieben, noch unterschrieben ist, und daher als eine scriptura imperfecta keine Krafft haben kan,

LYNCK. cent. 3. d. 226.

hier

hiernächst durch das *cap. 11. x. de testam.* bey einer dispositione ad pias causas nur die solennitates, keineswegs aber die wesentliche Stücke eines letzten Willens, worunter die *certitudo voluntatis in actum deductae* vornehmlich mit begriffen ist, aufgehoben werden, auch nicht aufgehoben werden mögen, folgbahr dieser textus der piae causae nicht zu statten kommen kan, der End auch, worzu sich der Conciipient des Aufsatzes erbiethet, dieser disposition keine Gültigkeit zulegen kan, indem die Aussage eines Zeugen zu einem völligen Beweis nicht zureichend ist, wenn gleich die Sache eine piam causam betrifft,

FARINAC. de test. quest. 63. n. 207.

allenfalls auch, wenn das angegebene Mandatum völlig erwiesen würde, jedoch nur daher einige Wahrscheinlichkeit entstehen dürfte, daß die Testatrix willens gewesen der piae causae ein gewisses quantum zu vermachen, keinesweges aber dadurch die bey dieser scriptura angemerkte wichtige Mängel, welche die *certitudinem voluntatis in actum deductae* im gegenwärtigen Fall gänzlich aufheben, supplirét werden mögen.

So geht unsere rechtliche Meinung dahin, daß mehr gedachter Aufsatz, wenn gleich der Conciipient eydlich erhärten sollte, daß ihm die Caia, solchen zu verfertigen, anbefohlen, zu recht nicht beständig sey, und daraus die der piae causae ausgesetzte Summe nicht gefordert werden könne. V. R. W.

E

§. XLVII.

§. XLVII.

P. c. in te-
stam. scripto
sine testibus
institui &
substitui pot-
est.

Quæ hæcenus de suprema voluntate in pia-
rum causarum favorem scripta disputavimus: ea
nos dubitare non sinunt, quin ultima voluntas
qua pia causa hæres instituitur, modo scriptio-
nis non obstet incertitudo, stare sine omni solen-
nitate queat: nomine relictorum enim, de qui-
bus *c. ii x. de test.* loquitur, ea quoque, quæ insti-
tutionis titulo piæ causæ destinantur, compre-
hendi extra omne dubium positum est. Quod &
ex rationum identitate in substitutione in piæ
causæ utilitatem facta verum esse oportet.

§. XLVIII.

Etiā per
verba enun-
ciativa

Nec diversum obtinet, etiamsi piæ causæ per
verba enuntiativa hæreditas relicta sit. Illustre ex-
emplum refert SCHULT. *in ex. ad ff. 38. §. 86.* Iulius
Pflugius Numburgensis episcopus hæredis insti-
tutionem in suo testamento ita conceperat: Und
weil ich piām causām zu meinem hærede und Erben
instituire, so ordne hiemit und will, daß man von meis-
ner Baarschafft ein tausend Gûlden an Mûnzen der
massen anlegen, auf daß man davon jâhrlichen funffzig
Gûlden Erb- oder Wiederkauflîchen Zins haben mûge,
und solche summa Geldes jâhrlichen auf Waisen oder
andere arme Leute ausgetheilet werde &c. varia dein-
de legata constituerat. In diversum traher-
etur institutio ideo, quod verbis enunciati-
vis, non dispositivis facta erat. Sed stabile ra-
tumque iudicarunt Lipsienses scabini hoc testa-
mentum. Fundamentum huius decisi, quod ad
ius

ius canonicum in eo positum est, quod huic hæredis institutioni non desit certitudo. Nec Romanum ius eam improbat instituendi rationem, prout ex l. 61. ff. de hæred. inst. liquet. *Qui volebat filiam exhæredare, inquit Modestinus, sic testamento comprehendit: te autem filia ideo exhæredavi, quoniam contentam te esse dote volui.* Equidem in eo erat dubitatio aliqua, quod exhæredatio filiae non nisi verbis enuntiatiuis esset proposita, & de voluntate testatoris non satis constare videretur. Nihilominus hanc testantis dispositionem ratam indicavit Ictus, quia etsi præteritum continebat, per modum tamen causæ erat prolata adeoque expressa & pura apparebat voluntas testatoris.

§. XLIX.

Legata quoque per scripturam privatam piis relicta causis omnino deberi itidem ex c. 11. x. de test. perspicuum est: sanctio enim de ecclesiæ relictis generaliter præcipiens ad legata extra omnem dubium pertinet. Quæ argumentatio corroboratur c. 3. x. de success. ab intest.

Ex test. ad p.c. in script. priv. condico legata debentur.

§. L.

Nec distinguendum hoc loco est, utrum hæres in eiusmodi scripturæ privata sit institutus, nec ne? Testamentum enim ad pias causas scriptum, tamen in eo de legatis solummodo cautum sit, iure sustinetur canonico. Idque ob generalitatem c. 11. x. de testam. Præcipit indistincte Pontifex, ut ea quæ piis causis relicta sunt, feryentur salva.

Etiamsi hæres in eo non sit institutus.

§. LI.

Vel nulla sit
her. institu-
tio, vel irri-
tum vel de-
stit. sit te-
stam.

Pone vitium esse in hæredis institutione eam-
que nullam declarari, vel testamenti tabulas
ex eo, quod irritæ factæ sint, impugnari, vel
hæredem ex testamento hæreditatem non cer-
nere eoque destitui testamentum, & nihilominus
legata piis assignata causis servari ratio *c. 11. x.
de testam.* iubet LYNCK. cent. 3. dec. 226. MEY. ad
ius lub. p. 2 tit. 1. art. 13. n. 7.

§. LII.

Regulæ iur.
rom. obli-
contra dicta
non queunt.

Non officiunt regulæ, quod hæredis insti-
tutione deficiente legata non subsistant, quod cor-
ruente principali accessiones infirmantur, quod-
que hæreditate non adita legata non debeantur
arg. c. 11. x. de testam. Sunt enim hæ regulæ ex
eorum numero, quæ præscriptis Romano iure
solennibus inniuntur. COVARRUVIAS legata
piis causis data, quamvis hæreditas adita non sit,
sustineri argumentis ex iure Romano desumptis
docere conatur. Nimirum non adita hæreditate
defuncti bona ex D. Marci rescripto servo, cui
libertas est relicta, ad voluntatem testatoris li-
bertatesque conservandas, præstita de solvendo
ære alieno cautione, addici queunt *l. 2 ff. de fidei-
commis. libert. & tot. tit. 1. de eo, cui. libertatis causa
bona addicuntur.* Hæc piis causis COVARRUV. ac-
commodat, putatque hac ratione piis causis re-
licta Romano iure salva manere. Vid. LAYMANN.
ad ius can. lib. 3. tit. 26. cap. 11. n. 1. ENGEL. *ius can.
lib. 3. tit. 26. n. 20.*

§. LIII.

§. LIII.

Finge igitur piam causam in scriptura privata legata in
hæredem institui, in eadem scriptione legata ex-
traneis relinqui, de his quæstio erit an valeant? Et
affirmativam tuentur LAYM. in iur. can. lib. 3. tit. 26.
cap. 1. COVARRUV. tom. 1. c. 11. n. 2. eamque imprimis
tueri conantur regula iuris: quod accessorium sequi
principale debeat. Absonum illis viderur, idem te-
stamentum sine solennitate, quod ad hæredis insti-
tutionem vel maiorem bonorum partem piis causis
relictam, valere, legata autem reliqua, quæ ex-
traneis sunt destinata, improbari. Præterea ex
eo, quod secundum auth. *quod sine C. tit. de test.*
& *quemadm.* in testamento parentum inter libe-
ros legata extraneis assignata rata censeantur,
argumentum ducunt. Verum hanc litem non
ex Romanis legibus, sed ex Pontificis dispositio-
ne componendam esse puto. Et pater Pontifi-
cem in piarum causarum favorem sanctionem,
quam supra exposuimus, unice condidisse: ni-
hil enim suppetit, ex quo firmiter concludatur,
eum etiam voluisse, ut iis, quæ per dispositionem
ad pias causas in extraneos sunt collata, idem
valor tribueretur. Si igitur axioma iuris de prin-
cipali & accessorio hic applicatur, sententia fin-
gitur, quam placitum Pontificis non habet. Nec
trahi in consequentiam queunt ea, quæ de lega-
tis in testamento parentum inter liberos relictis
Romano iure caventur: de his enim ideo dubi-
tandum non est, quia expressa lege habentur rata.

E 3

§. LIV.

Legata in
script. privata
qua p. c. hæ-
res instituta
est, extraneis
relicta non
valent.

§. LIV.

Provinc. lege
legatis extra-
neo in test-
ybi p. c. est
institutus, re-
lictis valor
tribui potest.
Illustratur ex
iure Pal.

Posse provinciali lege testamento ad pias causas id robur addi, ut etiam legata, quæ extraneis decernit testator, sustineantur, extra omnem dubitationem positum est. Ita sane ordinatione electorali Palatina p. 3. tit. 7. § 2. est comparatum, ut ex testamento, in quo piæ causæ sunt institutæ, legata capere extranei queant. Legislatores his verbis mentem complectitur: Unde sollen solche testamenten, da der gemeine Nutzen, oder andre milde Sachen durch Erbsetzung bedacht, nicht allein gehörter massen vor sich selbst gelten, sondern auch, was weiter darinnen andern Persohnen legirt und vermacht, unangesehen solche legata nicht zu gültigen milden Sachen gehören, erhalten und sustiniret werden.

§. LV.

Ufus fori in
hac quæstio-
ne.

Teste BERGERO in O. I. l. 2. tit. 4. §. 9. not. 4. legata, quibus in dispositione ad pias causas instruuntur extranei, fori usus probat, si duo testes fuerint adhibiti. In quo quidem numero formam consistere, eaque neglecta legata cadere, atque in nullo numero esse, idem observat. Add. WAMMES. conf. 389. n. 33.

§. LVI.

Si in test. ad
p. c. scripto
extraneus hæ-
res dictus &
legata p. cre-
dicta, hæ. inst.
invalida est;

Alia quæstio est, si in scriptura privata extraneus hæres est institutus, & legata piæ causæ relicta. COVARRUV. putat extranei institutionem esse invalidam, legataque in piæ causæ favorem scripta valida futura. Quæ quidem sen-
ten-

tentia nobis probatur. Equidem hæc decisio in-
 signe artis rabulificæ exemplum nonnullis vide-
 tur, cum unum idemque testamentum ex parte
 validum & ex parte invalidum dicatur. Quam
 in rem ita argumentantur, aut de seria dispen-
 tis voluntate controversia moveri potest, aut
 non, si prius nec ea, quæ ecclesiæ sunt relicta, va-
 lere contendunt; si posterius rationem non da-
 ri, cur non valeret facta in eadem scriptione hæ-
 redis extranei institutio. Verum enim vero,
 quod ad secundum argumenti membrum attinet,
 concedimus quidem, in eo casu, ubi in scriptio-
 ne ea, quæ piis causis sunt decreta, serio acta
 esse censentur, etiam reliqua, quæ hæredem ex-
 traneum concernunt, non posse non ex animo
 scripta indicari. Exinde tamen non concluditur
 ea etiam valere. Quod ad extraneos enim non
 sufficit seriam adesse testatoris voluntatem, sed
 præterea ut solennia adsint, necesse est. Testa-
 mentum ex præceptis saltem Romanis pro ne-
 gotio habetur, quod divisionem non reciperet.
 In respectum autem dividi omnino potest. Non
 implicat, ex parte valere testamentum, ex parte
 infirmari, si pars testamenti legislatoris sustine-
 tur auctoritate. In facto, de quo disputamus,
 ponitur extraneum hæredem scriptum & legata
 piæ causæ relicta. Hæc, ut valeant, Pontifex vult.
 Quod hæredis institutio, quæ extraneum hono-
 ravit testator, valere debeat, a Pontifice cautum
 non est. Cæterum de primo argumenti mem-
 bro

hæc vero va-
 lent.

bro dicendum, relicta, si de seria testatoris mente non adsint indicia, nec, quod ad piæ causæ legata, valere. Ex quibus facili apparet negotio, quod allata decisio pro rabbulistica artis exemplo haberi non queat.

§. LVII.

Fideic. part.
& univ. in
test. ad p. e.
scripto relin-
qui queunt.

De fideicommissis idem fere tenendum, quod de legatis monuimus: particularia enim legatis sunt admodum similia, adeoque omnino iisdem iudicari regulis queunt. Nec peculiari observatione circa universalia fideicommissa opus est, cum pias causas in scriptura privata institui & substitui posse, probatum dedimus. Sane doctrina iuris canonici his magis, quam reliquis ultimæ voluntatis speciebus accommodari potest, cum ea Romano iure sine solennibus valide relinquantur. Constat enim his legibus satis esse ad fideicommissum, si hæredem testator præsentem de hæreditate integra vel eius parte restituenda rogavit. *l. f. C. de fideicommiss. §. f. I. de fideicom. bared.*

§. LVIII.

Nec non do-
nationes mor-
tis causa.

Restat, ut de mortis causa donationibus habeatur quæstio, an per scripturam factæ privatam stare queant? Et metiamur quidem primo hanc rem unice iuris canonici regulis. Viderur omnino nihil esse, quod valorem donationis mortis causa factæ dubium reddere queat. Vox relictorum generalis, qua Pontifex in *c. u. x. de test.* uti-

utitur, hanc ultimæ voluntatis speciem utique
 complectitur: nulla ergo suppetit ratio, cur eidem
 subesse negetur. Ut ex mente Pontificis non ex
 libris Ictorum vel Imperatorum constitutionibus
 canon ille explicetur, interpretandi regulæ po-
 stulant. Dabimus aliam ex abundanti probatio-
 nem ex iuris maxime Romani præceptis desum-
 tam. Nimirum secundum Romanorum placita
 donatio mortis causa absenti coram quinque te-
 stibus facta iure valet fideicommissi *l. f. C. de don.
 int. vir. & ux. iuncta l. ult. C. de codic. BVSIVS ad
 l. 38. ff. de mort. caus. don. PRÜCKMANN conf. 12.
 n. 68. seqq.* Codicillaris autem clausula ad pias
 causas dispositioni inesse intelligitur, idque ex
 communi pragmaticorum consensu. Porro bi-
 nos testes in fideicommissio piis causis assignato
 sufficere concedunt pragmatici *LAVT. coll. theor.
 pract. lib. 36. tit. 1. §. 9. it. lib. 39. tit. 6. §. 13.* Præ-
 terea scripturæ privatæ & testium fides exæqua-
 ta est iure canonico, quod prolixè supra demon-
 stravimus. Ergo eiusmodi scriptio privata, quæ
 mortis causa donationem complectitur, fideicom-
 missi requisita habet. Unde concluditur etiam a
 Romani iuris principiis alienum non esse, ut eius-
 modi mortis causa donationibus valor adscriba-
 tur. Nihil ad rem facit, quod in mortis causa
 donatione ex Romanorum placitis acceptatio sit
 necessaria: *arg. l. 1. ff. de pact. l. 55. ff. de O. & A.*
 id enim verum est, si in aliud negotium illa non de-
 generat. Quæ quidem visio hic occurrit, ubi do-
 natio

nationi mortis causa eatenus modo a nobis valor tribuitur, quatenus ut fideicommissum spectatur.

§. LIX.

Prodigus ad
p. c. per scri-
pturam pri-
vatam testa-
tur.

Iam progrediamur ad personas, quæ per scripturam privatam in piam causam aliquid conferre valent. Et quidem de iis modo disputabimus, quorum testandi potestas in dubium vocatur. De prodigis autem primo dicamus, num in privata scriptione testari ad pias causas queant? Quemadmodum autem ante omnia generatim quæstio decidi debet, num prodigus testandi iure gaudeat: ita præmittere eandem necesse est. A plerisque hæc quæstio negatur, affirmatur a paucis. Nos adfirmantium sententiam amplectimur. Et quidem ex Romanis legibus hoc thema erit iudicandum, cum iure canonico de eo cautum non sit. Ulpianus hanc in rem in *l. 18. ff. de testam.* sententiam profert, putatque eum, cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non posse, & si fecerit, ipso iure non valere. Prodigum igitur Ictus ad testandum prorsus inhabilem iudicare videtur. Igitur exanimandum, an ex lege prodigo tale adhæreat vitium, quod ipsi semper est impedimento, quo minus valide testari queat. Multi quidem hoc existimant, censentque sufficere, si filio, prodigo non expresse nominato, curator a patre in testamento constituatur & per decretum magistratus confirmetur sicque eidem administratio fuerit subtrahenda. Verum voluntas dictæ *l. 18.* aliarum legum ope est enodan-

danda. Sane in *l. 1. ff. de curat. furios.* idem Ulpianus definit tamdiu prodigum subesse curatori, donec sanos mores receperit. Quodsi hoc evenit, curatoria potestate eum ipso iure exemptum esse pronuntiat. Ergo res nunc eo redit, quando mores recepisse bonos dicatur. Id colligendum ex factis, quæ prodigum recto uti iudicio ostendunt. Nec ut plures adsint actus animi mutatum indicantes, erit necesse, præcipue in iis, quæ prodigo adferre damnum non queunt. Ad quam classem refero testamenti factionem: conditionem enim suam deteriore non reddit prodigus, si testamentum scribit, cum suprema voluntas non, nisi mortuo demum testatore, fortiri effectus queat. Id maxime considerandum est, quod in primis bonorum interdictio eo fine decernatur, ne suas res profundat prodigus, & postea, unde se tueatur, nihil habeat reliqui. Interea testamentum, quo in pia causæ favorem disponit prodigus, pro tali actu erit habendum, ex quo is ad sanam rediisse mentem intelligatur. Unde relinquitur ultimam prodigi voluntatem vitio laborare aliquo dici non posse. Sane eum in modum hanc rem interpretatur Leo Imperator, dum in *nov. 39.* ea, quæ a iudicio erroneo prodigumque designante proficiuntur, neque approbatione neque confirmatione digna quidem iudicat: in fine autem eiusdem sanctionis, rata haberi iubet ea, in quibus prodigi mores non conspiciantur. In numerum actuum,

etuum, qui prodigum non indicant, refert, si prodigus hæreditatem necessariis suis relinquere, aut pauperibus distribuere, aut denique gravem servitutis torquem servorum cervicibus adimere velit. Quin alia quoque eam in rem exempla adfert de negotiis inter vivos a prodigo susceptis. Ponit inutile prædium a prodigo maiori pretio, quam quanti prædium revera est, vendi pretiumque in rem converti utilem, & prodigalitatem, quo minus ille sibi consulat, utiliterque negotietur, non impedire putat. Vid. CUIAC. *op. tom. 1. p. 1195. ad l. 6. ff. de V. O.* Add. GROEN. *ad §. 2. quibus non est perm. fac. test.* Nec obest, quod is, cui bonis est interdictum, non nisi prævia causæ cognitione & sententia declaratoria rerum suarum recipiat administrationem. Exploratum enim est ad facti certitudinem modo sententiam requiri declaratoriam, quem quidem defectum per subsequenter post mortem prodigi causæ cognitionem a iudice suppleri non incongruum est. SCHILT. *ex. ad ff. 38. §. 36. CARPZ. iurispr. forens. p. 3. c. 7. d. 11.* Quemadmodum autem ex dictis sequitur, prodigo de iure Romano testandi competere facultatem: ita porro infertur, eum in scriptura privata sine testibus piis causis posse aliquid relinquere.

§. LX.

Mente capti
disp. ad p. c.
in script. priv.
facta non va-
let.

Mente captos ob iudicii defectum Romanorum placita a testamenti factione excludunt. *l. 17. ff. qui test. fac. poss.* Quæ quidem ratio uti in testamento ad pias causas locum quoque obrinet: ita

ita dubium non est, quin mente capti ad pias causas dispositio sit invalida. Quem in modum pronuntiatum refert BERG. in O. I. lib. 2. tit. 4. §. 10. Nulla igitur scriptioni privatae, qua mente captus in piam causam conferre aliquid voluit, vis inesse potest. Argumenta, quæ pro testamenti prodigi ad pias causas conditi valore attulimus, hoc loco obesse non queunt. Etsi enim dicas ipsam mente capti scriptionem esse actum, ex quo ad sanam mentem rediisse intelligeretur: tamen facile perspicitur prodigi & mente capti diversam utique rationem esse. Voluntatis vitium prodigum ad testandum inhabilem reddit: at in mente capto intellectus desideratur.

§. LXI.

Discepratur quoque, an filiifamilias testamentum ad pias causas in scriptura privata conditum stare queat? Et putem iure canonico filiifamilias, si pater consentit, de rebus profectiis & adventitiis in scriptione privata testari ad pias causas omnino posse. Docetur hæc assertio argumento c. 4. de sepult. in 6. ubi Pontifex, quamvis autem, inquit, filiifamilias absque patris assensu sibi liberam possit eligere sepulturam, pro anima tamen sua præter ipsius assensum, nisi peculium castrense se aut quasi castrense habeat, aliquid indicare potest.

Filius, si pater consentit, in scriptura priv. de reb. prof. & advent. ad p. c. testari potest.

§. LXII.

Equitem hanc sanctionem aliter interpretantur nonnulli, eamque de peculio tantum profectio non de adventitio, vel de casu speciali,

Dubia.

quo salva patri non est legitima, vel de actu inter vivos, non de ultima voluntate accipiendum esse volunt. Et præterea generalitatem *l. i. C. de sacro eccles* itemque *c. ii. x. de test.* urgent, simulque ad axioma provocant, quod non ex legibus civilibus sed ex gentium iure ultima voluntas in piæ causæ favorem comparata, iudicari debeat. Quibus addunt, quod testamenti factio eo magis filiofamilias sit indulgenda, cum patri non fiat præiudicium. Si enim filiusfamilias quidquam ea accepit lege, ne patri acquiratur ususfructus, res per se clara est. Si vero usumfructum pater habet, cessare tamen eundem morte & patrem suam lucrari legitimam portionem: adeoque ea salva testamenti factionem filiofamilias concedendam esse.

§. LXIII.

Solutio.

Verum ex verbis *c. 4. de sepult in 6.* perspicuum est, Pontificem generaliter testamento ad pias causas a filiofamilias de rebus ad peculium castrense non pertinentibus condito, si pater suum consensum impertitur, robur adiunxisse. Igitur ratio nulla suppetit, quare legislatorem de peculio saltem profectio, vel de casu speciali, quo patri salva non esset legitima, cogitasse fingamus. Sane boni interpretis est in explicandis legibus factio, quod legislator supponit, & in ipsa exprimit sanctione, nec addere nec subtrahere quidquam. Potius legibus facta, quæ ponimus, non factio, quod fingimus, leges metiri decet.

De-

Deinde quando iudicandi vocabulum ad actus inter vivos pertinere dicunt, non intelligunt, quid vox illa sonet. Usurpatam esse hanc vocem illo ævo non de actibus inter vivos, sed de suprema hominum voluntate, per legati vel institutionis modum declarata, monet SCHILT. in *ex. ad ff. 38. §. 15.* CAROLVS DV FRESNE in *glossario vocem indicare* per disponere, legare, supremo iudicio de bonis suis decernere explicat docetque id vocabuli Longobardis & Gothis familiare esse. Adfert tabularium Caufariense huius sententiæ: *ad ecclesiam S. Trinitatis venit iuga, que fuit coniux Bernardi & tradidit & iudicavit omnes sue res proprietatis quantum habebat & tenebat, in ipsam ecclesiam.* ZIEGLERVS in *notis ad LANCELL. lib. 2. tit. 24.* notat, per phrasin, iudicare pro anima sua, nihil aliud denotari, quam testari aut disponere pro anima sua, id est, sub conditione precationum, quæ pro disponentis anima & salute fieri debent. Eadem significatio in iure feudali occurrit 2. F. 9 & 55. verbis: *ut nulli liceat secundum totum vel partem aliquam vendere vel pignorare, vel quocunque modo distrabere sive alienare vel pro anima sua iudicare sine permissione illius domini, ad quem feudum spectare dignoscitur.* Germanorum leges eodem significatu verba, pro anima iudicare, adhibent. Imperator Carolus *leg. Longobard. lib. 2. tit. 18. l. 4.* Si quis Longobardus, inquit, statum humane fragilitatis præcogitans pro salute anime sue de rebus suis voluerit iudicare. In *l. 6. lib. 2. tit. 19. it.*

19. it. l. 2. lib. 16. tit. 17. *C. Theodos.* iudicium pro testamento accipi in notis ad has leges GOTHOFREDVS animadvertit. Pariter iudicii vocabulum in l. 19. *C. de testam.* ultimam voluntatem denotat. Et præterea hoc sensu Pontificem adhibuisse vocem iudicare, coherencia eorum, quæ in c. 4. caventur, indicat. Initium sanctionis tuetur voluntatem filii familias, qua sibi sepulturam absque parentis consensu eligit. Quid, quæso, solennius est? quam ut in testamento de sepultura statuatur. Ut argumentum ex c. 11. x. *de testam.* desumptum c. 4. *de sepult. in 6.* opponatur, inconueniens est. Non opus est, ad generalem sanctionem recurrere, ubi specialis adest. Nec axiomata, quod ex doctrina iuris canonici præceptorum naturalium in explicando testamento ad pias causas habeatur ratio, obesse nobis potest. Hæc enim regula in iis modo invenit locum de quibus Pontificis placitis nihil est comparatum. Contra expressam autem Pontificis constitutionem incongrue allegatur. Ceterum vox unicuique in l. 1. *C. de sacros. eccles.* civiliter est accipienda de eo, qui habilis ad testandum legibus iudicatur civilibus. Adde ea, quæ supra de huius legis interpretatione §. 8. & seqq. differuntur. Ultima ratio, quod patri non fiat præiudicium, plane inefficax est. Quamvis enim pater consentiat, ut filius familias testetur: tamen eius dispositio, ex legibus civilibus robur non habet. Vid. DVAREN. tit. qui test. fac. poss. GRAT. discept. forens. tom. 1. c. 79. n. 18.

§. LXIV.

§. LXIV.

An masculus ante completum decimum quartum annum ad pias causas in scriptura privata testari queat? in disceptationem venit. Mea sententia est nullum esse scriptum ad pias causas impuberis testamentum. Nimirum generaliter Romano iure cavetur, impuberem testamentum facere non posse §. 1. I. quib. non est permitt. fac. test. licet olim potuerit, si tribunatum numerorum mereretur l. ult. C. de testam. milit. l. 4. C. qui testam. fac. poss. VOETIUS in comment. ad. ff. lib. 28. tit. 1. n. 31. Nec enim tutoris auctoritate, eo, quod testamenti factio ab alieno arbitrio pendere non debet l. 32. ff. de instit. hered. nec pio favore, nec utilitatis publicæ prætextu defectus suppleri potest LEEUWEN. cens. for. lib. 3. cap. 3. n. 2. Quæ quidem usus fori servat BERG. O. I. lib. 2. tit. 4. §. 10. 11. LYNCK. cent. 2. dec. 144. RICHTER. p. 1. dec. 57. CARPZOV. p. 3. c. 6. d. 6. ubi eum in modum pronuntiatum refert: So ist solche verordnung zu recht beständig, ihr könnet denn bescheinigen, und beybringen, daß der verstorbene Knabe und testator zur zeit des aufgerichteten Testaments das 14te Jahr seines Alters nicht erfüllt, auf den Fall würde berührtes Testament auch ad pias causas nichtig und unkräftig, und es hätte der verstorbene Knabe sein Verlassenschaft auf seine nächsten Erben ab intestato bracht und verfällt. Quæ quidem si quæstioni nostræ accommodantur: facili negotio intelligitur sententiam nostram veritate niti explorata.

G

§. LXV.

Masculus ante compl. annum decimum quartum in script. priv. ad p. c. testari non potest.

§. LXV.

Dubia sol-
vuntur.

Adduci quidem in dubitationem ex variis causis possumus. Lex enim allata docet, quod ex certo ætatis anno testandi facultatem dederint Romani, eoque tempus definierint naturæ præceptis incognitum. At Pontifex in privilegio, quo pias causas ornavit, leges antiquavit civiles, ideoque etiam, ne temporis habeatur ratio, voluisse videtur. Verum ex rationibus sanctionis Romanæ hac de re faciamus iudicium. Natura voluntatis ultimæ requirit, ut intellectus insit testatoribus. Experientia autem docemur, quod in puerili ætate ea non sit intelligentia, qua in contrahendis negotiis aliisque voluntatibus opus est. Unde etiam ut voluntatis actus ab eiusmodi profecti personis robur non habeant, iure naturali caveretur, certa que ætatis tempora prudentiæ legislatorum definienda relinquuntur. Quemadmodum autem reipublicæ interest, ut regulam certam habeant iudices, qua facta, quæ obveniunt, metiri queant: ita Romanis visum est in omnes personas certa ætatis tempora præscribere, quæ si quis impleverit, pro habili, si nondum, pro inhabili reputatur. Cum vero Pontifex aliud tempus non constituerit, norma a Romanis iniuncta tamdiu servari debet, donec particulari iure aliud doceatur cautum. Dantur statuta, quæ plenius supponunt iudicium, adeoque maiorem annorum numerum in testatore exquirunt. Ita iure ele-

electorali Palatino sancitum est, ut nemo, nisi completo decimo octavo anno testandi facultate gaudeat, non habito sexus discrimine, uti ex *tit. 2. p. 3. ord. Pal.* satis apparet. Ultraiecti annos octodecim completos in masculis, ac sedecim in foeminis, Neomagi in masculis annos viginti in foeminis octodecim requirant refert *VoET. in comment. ad ff. tit. qui test. fac. poss. n. 33.* De aliorum populorum iure circa ætatem ad testamenta requisitam vid. a *WESSEL. ad nov. const. Ultraiect. art. 16.*

§. LXVI.

Quæ de scripto ad pias causas impuberis testamento diximus, vera sunt, quamvis tempore conditi testamenti pubes & habilis communi iudicio quis habitus sit, & post eius mortem demum compertum fuerit, eum impuberem fuisse, etiam si vel minimum tempus defecerit: per errorem enim communem suppleri mentis integritatem, quam testamenti factio requirit, non posse, manifestum est. Argumenta, quæ a favore piæ causæ desumuntur, iam solvimus. Unde conficitur, eiusmodi testamentum ad pias causas in scriptione privata confectum nulla lege fustineri. Eumque in modum sæpius in iudicio contradictorio iudicatum refert *LEEUWEN. in censur. forens. lib. 3. cap. 2. n. 13.*

§. LXVII.

Si impubes
post puber-
tatem &
filiusf. post
emanc. mori-
tur, convale-
scit. testam.

Aliud quæsitum est, num valeat testamen-
tum ab impubere vel filiofamilias ad pias causas
sine solennibus conditum, si ille post pubertatem,
hic, postquam patria potestate liberatus est, ad
mortem usque in eo perseveret. Romano iure
eiusmodi testamentum nullius momenti est, ob
regulam, quod ea, quæ ab initio non valent,
nec ex post facto convalescant *l. 1. ff. de reg. Ca-
ton.*, adeo, ut ne quidem bonorum possessio pe-
ti ex tali impuberis testamento queat *l. 19. ff. tit.
qui testam fac. poss.*, quamvis legitimo tempore im-
pleto declararet, se in eadem voluntate permanere.
Quod si eadem solennitate, quæ in testamento
condendo adhibetur, fiat illa declaratio, non-
nulli dandam esse hæredi actionem existimant
VOET *in comment. ad ff. lib. 28. tit. 1. n. 31.* Iure
canonico non est, ut de valore scriptionis dubi-
temus: regulam enim, quod actus ab initio in-
validi non convalescant ex post facto, hic appli-
cari a re alienum est, uti supra monstravimus.
Quod si igitur is, qui impubes vel filiofamilias
eo tempore fuit, cum testamentum conderet,
postquam pubes vel paterfamilias factus est, scrip-
turam privatam in piæ causæ commodum con-
fectam noviter probet, nihil video, quod obesse
queat scripturæ ad pias causas dispositioni. Et ex
eo quidem putem satis constare, quod ratam
habuerit voluntatem suam, si aliquid addidit,
vel

vel detraxit, vel suum nomen denuo subscripsit, temetſi diem vel annum in ea ſcriptione expreſſum plane non immutaverit. Tale factum ſi non adſit, vix eſt, ut valere impuberis teſtamentum dicatur. Sane teſtamentum filiifamilias, quamvis non ſit rurfus facto aliquo probatum, ratum nihilominus habendum eſſe videtur: impedimentum enim, quod filiumfamilias a teſtamenti factione arcet, unice a iure arbitrario proficiſcitur, quod quidem variis moribus exoleviſſe putat LEEUW. in cenſ. for. lib. 3. cap. 3. num. 3. leges autem, quæ teſtandi poteſtatem negant impuberi, præceptis innituntur naturalibus.

§. LXVIII.

Cum ſingularem clauſulam codicillarem in teſtamento ad pias cauſas ineſſe contendant pragmatici: de ea aliquid diſputare operæ pretium eſt. Binæ autem hic occurrunt quæſtiones: altera, an teſtamento ad pias cauſas per ſcriptionem privatam facto clauſula codicillaris inſit? altera, an piæ cauſæ ſibi hac clauſula conducat? Quod ad primam quæſtionem attinet, primo quidem quid in hac re legibus comparatum ſit, diſpiciamus. Romano iure requiritur, ut a teſtatore clauſula codicillaris, qua ſuum vult ſuſtinere teſtamentum, expreſſe adiiciatur l. 1. ff. de iur. codicill. Verbis Imperator ſane diſertis in l. ult. C. de iur. codicill. iſtaver, non valere teſtamentum tanquam ex codicillo, niſi teſtator id complexus ſit,

An in teſt. ad p.c. in ſcript. priv. cond. clauſ. cod. intelligatur,

fit, ut vim codicillorum scriptura obtinere debeat. Generalis est hæc Imperatoris constitutio, omneque testamentum sub hanc regulam cadit, adeoque nec id, quod in piarum causarum favorem conditur, est exceptum. Neque exceptionem, quam fingunt iuris interpretes, in *l. 38. ff. de fideicommiss. libere. iuncta l. 37. ff. de leg. invenies*. Certe nec vola nec vestigium in his legibus de codicillari clausula extat. Argumenta autem a quacunque similitudine repetere a re plane alienum est. Optime igitur CARPZ. observat *p. 3. cap. 4. def. 38.* interpretationibus prudentum porius, quam iuris rationi adscribendum esse, quod clausula codicillaris in testamento ad pias causas intelligatur. Usu autem probari hanc prudentum interpretationem testantur Icti Ill. BOEHM. *tom. 1. resp. 187.* CARPZOV. *p. 3. c. 4. def. 38.* BERG. *in O. I. l. 2. tit. 4. §. 36. n. 5.* MEV. *p. 8. dec. 5. n. 5. & 6.* Unde relinquitur in testamento ad pias causas per scripturam privatam condito clausulam codicillarem inesse.

§. LXIX.

In quæstione autem, an ex re piarum causarum sit, ut clausulæ codicillaris ope succedant? in varias sententias abeunt Icti. Alii propterea, quod sine sollemnibus scriptum ad pias causas testamentum sustineatur, clausulam non modo inanem, sed & piæ causæ damnosam esse putant, cum hæredi ab intestato venienti quarta Trebelianica hæreditatis, quam quidem integram capere

An piæ causæ
conducatur
clausulæ cod.
uti.

pere pia causa posset, permetteretur. Alii eandem in testamento ad pias causas clausulam utilem esse contendunt, eiusque vim in eo ponunt, quod mortuo ante testatorem hærede, ii, quibus successio ab intestato debetur, legata ad pias causas secundum *nov. 107. c. 1.* præstare teneantur. Nos posteriorem sententiam de iure civili quidem veram esse concedimus, sed, quod hæc res ex præceptis civilibus iudicanda sit, prorsus inficiamur. Satis ex præcedentibus elucet, quod ius canonicum in quæstionibus, quæ pias causas concernunt, sequi debeamus. Quibus constitutis consequitur, clausulam codicillarem in testamento ad pias causas nec utilem esse nec necessarium. Sustinet Pontifex scriptam quamcunque testatoris ad pias causas voluntatem, modo de eius certitudine constet, ideoque non est, cur ad clausulam codicillarem pia causa confugiat. Et piæ causæ commodis officeretur, si clausulæ codicillaris virtute scriptio in eius favorem facta, subsisteret, cum quartam Trebellianicam hæredibus ab intestato relinquere teneretur. Ex quibus perspicuum est, piæ causæ non expedire, ut ea clausula codicillari succedere intendat.

§. LXX.

Hæc de personis, quæ ad pias causas testantur. De modis, quibus testamenta ad pias causas per scripturam privatam condita revocantur, iam differendum. In eo autem nulla est

Quæ in script. priv. p. c. relicta sunt, revocari queunt.

est dubitatio, quod ea, quae piae causae vel institutionis, vel legati, vel fideicommissi, vel mortis causa donationis titulo in scriptione aliqua relicta sunt, adimi a testatore queant COVARRUV. *rubr. de testam. p. 2. tom. 1. fol. 4. num. 3.*: testamentifactio enim est ex actuum numero, qui obligationem non pariunt, cum testator alteri hoc facto se obligare in animo non habeat. Unde merito voluntas hominis ambulatoria usque ad extremum vitae exitum vocatur *in l. 4. ff. de adim. & transf. legat.*, nihilque magis debetur hominibus, quam ut supremæ voluntatis liber sit stylus *l. 1. c. de sacrosf.* Nec piae causae favor testantium circumscribit libertatem, cum ille naturam voluntatis evertere non queat.

§. LXXI.

Mutandi animus ad revoc. non sufficit.

Tenendum autem, quod revocandi animo in actum haud deducto testamentum ad pias causas scriptum non infirmitur. Quemadmodum enim solo proposito condendi voluntatem non constituitur ad pias causas dispositio: ita nec mutandi intentione haud sufficienter declarata eandem tolli posse exploratum est. LYNCK. *cent. 6. dec. 595.*

§. LXXII.

Quæritur, an per claus. derog. posteriori test. ad p. c. in script.

Series argumenti nostri postulat, ut perquiramus, an per clausulam derogatoriam posteriori testamento ad pias causas in scriptura privata condito

dito aliquid detrahatur. Ante omnia autem de
 clausula derogatoria in genere quædam præmit-
 tenda sunt. Multiplex & varia est de hac clau-
 sula Dd. disputatio, eaque teste Iac. Cuiaccio
 lib. 14. obs. c. 17. innumeras hodie parit lites. In
 eo autem consistit, ut testator voluntatem suam
 & facultatem ulterius testandi circumscribat. In
 duplicem speciem derogatoriam potestatis & vo-
 luntatis dispecitur. Illa est, qua facultatem a
 testamento facto discedendi atque aliud scriben-
 di testator sibi ipse adimit. Robur huic non in-
 esse clausulæ legibus docemur l. 22. ff. de leg. 3. l.
 4. ff. de adim. vel transf. leg. l. 77. §. 26. ff. de leg. 2.
 Idem est dicendum de clausula, qua testator so-
 lennia, quæ in testamento deficiunt, supplere,
 sive, ut plures, quam leges exquirunt, solenni-
 tates in posteriori testamento adhiberi debeant,
 efficere intendit. Nimirum hæc clausula nullius
 est efficacix: privati enim hominis voluntate non
 possunt regulæ iuris solenniaque iis præscripta
 mutari. Clausula derogatoria voluntatis est,
 qua testator declarat, se nolle, ut posterius testa-
 mentum, si quod forte condiderit, sustineatur.
 De hac igitur quæstio est, an posteriori testamen-
 to, cui non expressa inest revocatio, deroget? In
 varias sententias discedunt Icti. Negativam te-
 nent STRAUCHIUS in diss. ad univ. ius iustin. disp.
 9. §. 32. van. de WATER. in not. ad §. 3. tit. 1. quibus
 mod. test. infirm. STRYCK. in annot. ad Laut. tit.
 de in iust. rupt. & irrit. fact. test. HILLIG. in Don.
 H enucl.

priv. conditio
 aliquid de-
 trahatur? Sen-
 tentia: Ictio-
 rum de claus.
 der. genera-
 tim spectata
 proponuntur

enuch. 1. 8. c. 4. p. 606. Affirmativam tueritur
 VOET. *ad ff. tit. de inust. rupt. & irrit. fact. test. n. 10.*
 SANDE *lib. 8. tit. 1. dec. 10.* BRUNNEM. *ad ff.*
tit. de leg. 3. LAUTERB. *coll. theor. pract. tit.*
de inust. rupt. & irrit. fact. test. LEUWEN. *in*
cens. for. lib. 3. cap. 11. n. 6. BESOLDUS *in cons. Tubing.*
 42. vbi formulam clausulæ derogatoriæ sequen-
 tem adfert: Ich will auch hiermit zu verhütung allerley
 Gefährden, so in einem Weg hierunter gebraucht oder
 erdacht werden möchten, ausdrücklich disponiret und
 erkläret haben daß, wo sich inskünftig in oder außers
 halb Landes, es sey, wo es wolle, eine wiedrige Disposi-
 tion oder Zeddel, so diesem meinem gegenwärtigen leg-
 ten Willen zuwieder oder entgegen wäre, befunden
 oder aufgebracht werden solte, oder würde, daß alsdann
 derselbige nicht gültig und kräftig sey und verbleibe.
 Ich hatte denn zuvor diese gegenwärtige wohlbedachte
 und befugte Disposition, dazu mich, weiß Gott, mein
 eigen Herz, Gemüth und große Gutthaten angemuthet
 und getrieben, wieder ordentlich revociret, abgefordert,
 cassiret und zumichte gemacht, doch mit der ausdrückli-
 chen reservation und vorbehaltung, dessen ich dann
 Rechts wegen befugt bin, solch mein Testament, in Zeit
 meines Lebens, so oft und wann, wie es mir iederzeit
 belieben und für gut angesehen wird, zu mehrren zu min-
 dern oder ganz abzuthun.

S. LXXII.

Nostra sen-
 tentia de
 claus. derog.
 generatim
 spectata.

Nos posteriorem sequimur sententiam, eam-
 que desumtis ex *l. 22. ff. de leg. 3.* argumentis firma-
 mus. Hermogenianus in hac lege factum po-
 nit

nit sequens: testator initio testamenti scripsit.,
cui bis legavero, semel deberi volo, deinde
in eodem testamento, sciens, quod illa clau-
sula usus sit, eidem sæpe legavit. ICtus respon-
det posteriorem voluntatem valere, quia nemo
possit eam sibi legem dicere, aqua ei recedere
non liceret, addita tamen limitatione, quod nimi-
rum res ita se habeat, si testator dixerit prioris
voluntatis sibi pœnituisse & voluisse, ut legata-
rius plura legata accipiat. Igitur examinanda
est huius legis ratio & limitatio adiecta. Illa in-
dicat libertatem testantium eiusmodi clausula non
circumscribi, quod & ex natura ultimæ volunta-
tis perspicuum est. At limitatio ostendit regu-
lam in testantium commodum scriptam contra eo-
rum voluntatem non esse detorquendam. Quo-
ties nimirum probabile est testatorem velle, ut
prior valeat dispositio, posterior illi derogare non
potest, tamen eidem videatur contraria. Quod-
si enim posteriori voluntati priori contrariæ in-
esse robur dicatur, si verosimile est testatorem
velle, ut prior valeat, restringeretur testantium
libertas, cui ut succuratur naturalis ratio & lex
civilis postulat. Iam quæritur, an ad clausulam
derogatoriam ex his duci argumentum queat.
Certe admodum similis est casus, quem Hermo-
genianus decidendum sibi sumit, quæstioni, an
clausula derogatoria priori inserta testamento,
posteriori testamento deroget. Agitur enim in
facto, quod ICtus proponit, de voluntate priore

H 2

&

& posteriore testatoris, sicuti in facto, de quo disputamus, duplex testatoris voluntates prior & posterior in disquisitionem venit. Quemadmodum autem ex ICti definitione priori voluntati posterior non obstat, nisi adiecerit testator, quod sibi prioris voluntatis pœnituerit: ita in clausula derogatoria idem omnino erit dicendum. Finge ergo testatorem eorum, in quos hæreditatem suam collatam non vult, crebras preces, adulationes ac flagitationes, ut in eorum testetur commodum, vel expertum esse, vel metuere ideoque in antecessum testamentum in eorum gratiam condere, quos sibi successores serio optat, addique ab eo se nolle, ut ulla posterior voluntas rata sit, aut præsentis obster iudicio, nisi in qua inveniaturs inserta certa quæpiam verborum formula, vel prioris testamenti revocatio, deinceps autem in posteriori testamento ab eo condito nullam prioris testamenti & formulæ mentionem fieri: certe, si rem allatis metimur rationibus, prior voluntas posteriori erit anteferenda.

§. LXXIV.

Dubiorum solutio.

Sed ut argumenta, quibus opinio innititur contraria, solvantur, necesse est. Et primo quidem adstruunt ex clausula derogatoria oriri modo præsumptionem, quod testator non facile voluntatem ultimam mutaturus sit: hanc autem omnimodo removeri per ipsam novi testamenti factionem. At quisque facile videt, ex utraque parte hic pugnari præsumptionibus, remque eo redi-

redire, quænam sit fortior. Nobis illa videtur fortior, quam pro priori testamento suggerit clausula derogatoria: lex enim huic adfistit & in simili casu, uti monstratum, approbat. Firmius argumentum videtur, quod ex *l. 6. §. 2. ff. de iur. codicill.* desumitur, ubi Ictus inquit, *quod si in confirmatione codicillorum paterfamilias adiecerit, posteriores codicillos se nolle valere, nisi sua manu scriptos & subscriptos; facti tamen eo codicilli valeant, licet neque ab eo signati neque subscripti fuerint.* Urgent ex hac lege dissentientes, eandem esse codicilli & testamenti rationem, adeoque cum in codicillo posteriori opus non sit, ut expresse prior codicillus clausula munitus derogatoria revocetur, neque in posteriori testamento id necessarium esse. Verum limitatio *l. 22. ff. leg. 3. addita in l. 6. §. 2. ff. de iur. cod.* subintelligi commode potest. Scilicet tunc demum codicilli posteriores derogant prioribus, si testator dixerit, sibi pœnituisse. Sane communem eandemque esse utriusque legis rationem, facile apparet. Igitur non incongruum est adserere, quod Hermogenianus *l. 6. §. 2. ff. de iur. codic.* iisdem terminis legem descripserit, quos in *l. 22.* definivit Ictus. Alia ratione hoc dubium dissolvit BRUNNEMANNVS in *comment. ad ff. ad l. 7. ff. de iur. codicill.* existimans, ideo in posteriori codicillo non requiri, ut clausulæ derogatoriæ priori insertæ codicillo iniiciat testator mentionem, quia *l. 3. C. de iur. codicill.* expresse cautum sit, ut priori codicillo per posteriorem semper derogetur, si scilicet

licet hic illi sit contrarius. Obiiciunt porro facile fieri ut clausulæ derogatoriæ obliuiscatur testator, sicque eveniat, ut testamentum omni solennitate conditum valore destituatur, ipsaque testandi libertas, quam ultima voluntas requirit, circumscribatur. Verum enimvero ponitur aliquid, quod vel nunquam vel perraro existit. Qui fieri potest, ut omnium circumstantiarum, quibus permotus fuit testator clausulam adhibere derogatoriam, memoriam deponat. Est, aliquando accidere, ex iis tamen, quæ perraro incident, vix est, ut interpretemur leges, potius eorum habenda ratio, quæ sunt frequentius. Certe naturæ legum non congruit, ut ideo, quia aliquando in uno vel altero casu deficiunt, valor iisdem negetur. Nec ad rem facit, quod a notario incilio testatore clausula derogatoria testamento addi queat: id enim non temere præsumendum est. Fac etiam ita esse, & sibi imputet testator, quod non perlegerit testamentum, vel sibi prælegi curaverit. Culpa hic in testatore residet, ob quam clausulæ derogatoriæ omnem generaliter auferre, efficaciam absonum foret.

§. LXXV.

Applicatio ad
quæst. §. 71.
propositam.

Quibus præstructis iam iudicatu facile est, an necesse sit in testamento ad pias causas posteriori revocare testamentum prius, cui inserta est clausula derogatoria? Rationes allatæ nos dubitare non sinunt, quin id fieri omnino debeat. Exceptio-

ceptionem in hanc legem ius canonicum nec expresse adscripsit, nec argumenta, quæ supra ex pontificum sanctionibus sunt deducta, hanc speciem complectuntur. Iuris Romani igitur regulæ eo magis hac in re standum est, cum ultimæ voluntaris naturæ, quam ius canonicum non immutavit nec immutare voluit, apprimè sit consentanea.

§. LXXVI.

Modos igitur, quibus ea, quæ ad piâs causas in scriptione privata relicta sunt, revocantur, expendamus. Revocationem verbis factam, quod attinet, iure Romano requiritur, ut ea coram tribus minimum testibus facta sit, lapsusque accesserit decennii *l. 27. C. de test. LAUT. colleg. theor. pract. l. 28. tit. 3. §. 4. §. 12.* De iure canonico secundum axioma, quod in testamento ad piâs causas scripto ea, quæ iuris gentium sunt, duntaxat spectentur, saltem videtur necessarium, ut de revocatione satis constet. Incongruum certe foret, si tantum in revocatione certitudo & sollemnitas; in confectione vero sola certitudo vrgeretur. Sane in testamento militari similem ius Romanum, *in l. 15. §. 1. ff. de test. milit.* servar decisionem cavetque ut revocationi nudis verbis factæ locus relinquatur. Cuius rei rationem in eo collocat Ulpianus, quod a milite ultima voluntas condi minus sollemniter queat.

Test. ad p. c.
in script. priv.
cond. nudis
verbis & si-
ne sollemnibus
revocatur.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

Test. ad p. c.
per posterius
test. perfectum
vel solenne
vel privileg.
infirmatur.

Dispositio ad pias causas in scriptura privata facta posteriori testamento rite condito, eo-que vel ex privilegio vel ex communi iure perfecto infirmatur: æquum enim est, ut voluntas servetur novissima *l. 16. §. 2. ff. de adim. & transf. leg.* Ut revocatio fiat expressa, opus non est, cum ipso iure prius corruat, quamprimum posterius est conditum *§. 2. I quib. mod. test. infirm.* Aliud est si prius testamentum clausulam habeat derogatoriam, qua de re antea satis diximus. Nec distinguendum hoc loco, utrum posterior voluntas eiusdem sive diversi generis sit, cuius prior fuit: utraque enim voluntate, quæ eiusdem vel diversi generis est, modo perfecta sit, priorem tolli exploratum est. Fac igitur prius esse ad pias causas scriptum, posterius esse solenne nuncupativum, illud omnino infirmabitur, quamvis in posteriore piæ causæ non consulatur. Po- ne prius esse solenne & posterius ad pias causas privilegiatum, & pariter prius corruet: privilegiatum enim testamentum æque ex iure singulari, ac solenne ex iure communi subsistit. Quod quidem desumpto ex *l. 36. §. ult. de test. milit.* argumento docent Icti.

§. LXXVIII.

Dubia sol-
vuntur.

Equidem nonnulli iuris interpretes existimant, testamentum paternum privilegiatum haud labe-

labefactari, nisi per testamentum solenne posterius sive scriptum sive nuncupativum adhibitis septem testibus a patre declaratio facta sit, se nolle, ut prius inter liberos testamentum ratum habeatur, quia testamento inter liberos tacita insit clausula derogatoria, inprimis si posterius inter extraneos appareat conditum vid. STRUV. *ad ff. ex. 32. §. 39.* Et hæc quidem testamento ad pias causas videntur applicanda. Verum ex privilegio, quo testamentum paternum & ad pias causas ornaverunt legislatores, sententia proposita colligi non potest: hac enim ratione non tam ampliaretur quam constringeretur eorum libertas, qui vel inter liberos, vel ad pias causas testantur, si varias clausulas, de quibus testamentum non loquitur, supremæ voluntati inesse fingeretur. Circumstantias, quæ ansam clausulæ præbent derogatoriæ, lex non præsumit, adeoque nec nostrum est easdem fingere. Argumenta autem, quæ ex *auth. hoc inter C. de test. itemque Nov. 107. c. 2.* obiiciuntur, facile removeri queunt: requirit enim *auth.* testamentum perfectum coram septem testibus conditum, si quis non inter liberos tantum, sed & inter extraneos testari vult, adeoque ipsi displicet inter solos liberos disposuisse. At pater sine ullis testibus aliud testamentum privilegiatum a priori diversum inter solos liberos facere non prohibetur. Significatio expressa coram septem testibus explicanda, cuius novella meminit, non ad specificam & express-

pressam prioris voluntatis revocationem pertinet, sed modo indicat, testatorem coram testibus declarare debere, se novum facere testamentum velle VOET. *in comment. ad ff. tit. de ininst. rupt. & irrit. test. n. 3.*

§. LXXIX.

Quid iuris, si
in post. test.
confirmatur
disp. ad p. c.
prior, vel
claus. illi in-
est fideicom-
missaria.

Si in posteriore testamento expresse confirmatur prius in piæ causæ favorem conceptum, vel clausula illi inest fideicommissaria, quæ hæreditatem piæ causæ in priori testamento institutæ restitui iubet: tunc hæres in posteriore scriptus testamento res modo capit sibi relictas, vel quartam deducit, §. 3. *I. quib. modis test. inf. l. 29. ff. ad senat. Trebell.*

§. LXXX.

De consulta
test. in script.
priv. ad p. c.
facti cancella-
tione.

De cancellatione scriptæ ad pias causas dispositionis aliquid addendum. Sub voce cancellationes inductiones, circumductiones & perductiones, deletiones comprehendi, docet MASCO. *de prob. concl. 256. n. 3.* Inconsulta cancellatio vocatur, quæ non ex voluntate, sed per errorem facta est. Consulta, quæ a sciente & volente committitur. Iam, quod ad consultam attinet cancellationem, ea dispositioni ad pias causas scriptæ vim omnimodo adimi ex dictis liquet. Et quidem, si totum testamentum fuerit cancellatum, integrum quoque infirmatur. *arg. c. 11. x. de test. l. 1. §. 3. de his quæ in test. del.:* præsumtio enim est fortissima

suma testatorem cancellatione voluntatem declarare mutata voluisse, quod quidem etiam in testamento ad pias causas facto ostendere integrum testatori esse debet. Idem de testamentis parentum inter liberos iudicant Icti existimantes ridiculum esse parentibus prohiberi, quod quibuscunque extraneis legibus permittitur. LAVT. *diff. de cancellat. tb. 36.* Et hæc vera sunt, tametsi testator testamentum ad pias causas clausum aperuerit, & cancellaverit, atque post cancellationem iterum suo sigillo obsignaverit. Nec revocationi hoc facto declarata ex eo, quod legi adhuc scriptura queat, vel sine testibus scriptura cancellata sit, derogatur. Multo minus clausula codicillari sustineri eiusmodi dispositio potest: ipsa enim clausula consulta testamenti totius cancellatione irrita redditur. Finge autem testatorem unicum modo hæredem, quem odio est persecutus, integri testamenti cancellatione iure succedendi privare voluisse, certe reliquorum hæredum & imprimis piæ causæ intuitu cancellatio erit inefficax. Pone in eodem testamento plures pias causas hæredes esse institutas & ob unius offensam totum cancellari testamentum, idque adscriptum esse, nec satis constare, utrum testator illam tantum, quam offensam habet, excludere, an totum infirmare testamentum voluerit, in hac specie reliquarum piarum causarum institutiones infirmata censi non queunt *arg. l. ii. x. de test.* Quæ quidem *arg. l. 2. ff. de his quæ in test. del. cor-*
robo-

roborantur. In partiali cancellatione videndum an vel omnes vel quasdam modo institutiones, vel legata saltem vel fideicommissa piis causis relicta cancellavit, & ea quidem, quæ cancellata sunt, irrita omnino reputari debent.

§. LXXXI.

De inconsulta
test. ad p. c.
in scripte. priv.
conditi cano.

Inconsulta autem cancellatione vel totius testamenti vel partis sive a testatore sive a tertio sine testatoris voluntate facta eiusmodi scripturæ valor haud eripitur, quamvis inducta legi non queant. Aliunde tamen ea de re ut tunc constet necesse est. Quæstio autem hic incidit, a quonam in dubio cancellatio facta præsumatur? Et putem dicendum, si in defuncti testatoris custodia reperitur testamentum, eam ab ipso testatore præsumi factam esse MASCARD. *de prob. concl.* 256. STRUV. *ad ff. ex 32. num. 51.*: cum enim ultimas voluntates diligentissime custodire testatores soleant, omne id, quod in testamentis illorum factum esse apparet, ex proposito profectum merito creditur BRUNNEM. *ad l. 12. C. de test.* Eum igitur, qui contrarium adstruit, probare oportet ab alio, vel a testatore incaute commissam esse cancellationem. Equidem hanc præsumptionem in scripta ad pias causas dispositione haud admitunt nonnulli MASC. *de prob. conclus.* 177. Quemadmodum autem argumenta ex civili & canonico iure pro stabilienda hac sententia non suppetunt: ita sola pietas legis autoritate haud suffulta tantum non efficit, ut

ut præter ius commune quid statuatur. Potius iuri communi standum, donec probetur singulare FINKELTHAUS. *obs.* 78. n. 38. & 40. MEV. *conf. possib.* 98. n. 119. 120. Regula, quod ex præceptis naturalibus iudicari relicta ad piam causam debeant, ad rem non attingit: ex hoc enim axioma non concluditur, quod relictorum ad pias causas deletio a testatore non consulto facta censerī debeat. Nec vagæ cuicunque præsumptioni relinqui locum posse iam monuimus. Id largior, si apud tertium eiusmodi scriptura cancellata reperiat, adeoque dubium sit, num a testatore facta deletio, cancellationem potius ab extraneo præsumi factam. Eius igitur est probare, quod testator cancellaverit, qui supremum voluntatem in hac specie impugnandam sibi sumit, præcipue si eius, a quo scriptura cancellata tenetur, forte ob successionem ab intestato interfit eam voluntatem infirmari.

§. LXXXII.

Quid si testator, condito ad pias causas per scripturam privatam testamento, aliud scripserit testamentum, idque in piæ causæ favorem cancellaverit? Dubium non est, quin dispositio ad pias causas prior vires ob posterioris testamenti confectionem amissas recuperet. Sustinet Prætor in eiusmodi casu ex æquitatis rationibus testamentum scriptisque in illis hæredibus bonorum possessionem secundum tabulas concedit. *l. pen. §. 2. ff. de bon. poss.* Quæ quidem prætoris dispositio

Test. ad p. & per cancellationem poster. test., in quo extranei hærescripti, amissum valorem recuperat.

fitio piis causis eo magis est accommodanda, cum
ius canonicum iisdem ratione faveat singulari.

§. LXXXIII.

De rasura
test. ad p. c.
script. priv.

De scriptione privata in pia causæ favorem
confecta, ex qua aliquid testator erasit, dispi-
ciendum. Fieri hoc in variis partibus potest,
vel in exordio testamenti, vel circa hæredis insti-
tutionem, vel circa diei, mensis, anni, & no-
minis subscriptionem. Distinguendum autem,
num scriptura in tali loco deprehendatur, ubi
eam testator satis tutam ab aliis reddidit, an in-
ter levioris momenti res ipsius testatoris, vel
apud tertium reperiatur. In primo casu vix est,
ut suspectam habeamus scripturam. Potius te-
stator, qui forte suam voluntatem ex aliqua par-
te mutare voluit, aliquid scriptura erasisse atque
ei, quod scriptum est, valorem adimere voluisse
videtur. Quod si in loco testatoris minus tuto
offenditur eiusmodi scriptura in eaque aliquid
erasum apparet, aliqua falsi præsumptio adesse, sic-
que rasura non simpliciter voluntatem testatoris
mutatam indicare videtur. Tertius si apud se
habeat scripturam, in qua exsculptum est ali-
quid, magis adhuc est verosimile aliud quam te-
statoris voluntate rasuram factam esse. Si deni-
que is scripturam tenet, cuius interest aliquid
esse erasum, urgens contra eum corrupti instru-
menti militat præsumptio. Unde a purgationis
iuramento se liberare vix poterit. Cæterum his
casi-

casibus, quod ad ea, quæ erasa sunt, credi scripturae haud posse, rasuram autem in scriptionis exordio vel die, vel mense vel anno factam nihil ad rem facere facile est ad intelligendum. vid. STRUV. *disp. de rasura cap. 2. §. seqq.*

§. LXXXIV.

Quemadmodum interlineatio seu superlinea-
ris, aut ad marginem adiecta scriptura solenne
testamentum irritum non reddit LYNCK. *cent.*
s. dec. 480. WERN. vol. 6. p. 9. c. 191. seqq. ita mul-
to minus scriptam ad pias causas dispositionem
vitiare potest. Quodsi autem diversa manu scri-
ptura appareat consignata, falsi aliqua præsumptio
exoritur facile, quæ quidem efficit, ut scriptura,
quod ad ea, quæ adiecta sunt, non omni exce-
ptione maior habeatur. Reliqua autem salva
manere æquum est. STRUV. *de rasura cap. 2.*
n. 18.

De interli-
neatione test.
ad p. c. in scri-
ptura privata
conditi.

§. LXXXV.

Facilis decisionis quæstio est, an dispositio ad
pias causas scripta notis, abbreviaturis & signis
concepta irrita fiat? Nimirum si legi queant no-
tæ in eiusmodi scripturæ adhibitæ, robur ei o-
mnino inest. Scripturæ autem, quæ legi nequit,
firmitas est neganda. Quodsi vero testator notis
usus est consuetis, res est extra dubium posita.
Vid. III. BOEHM. *differt. de script. non legibil.*
cap. 3.

De not. &
abbrev. in
test. ad p. c.
per script.
priv. cond.
adhibitis.


§. LXXXVI.

§. LXXXVI.

Ex test. ad p.
c. in script.
priv. condito
parata exe-
cutio datur.

Interea sicuti ex testamento, quod vitio caret visibili, parata datur executio. COL. *de proc. execut. part. 3. cap. 2.* RHET. *in disp. de except. par. exc. imped. cap. 1. n. 18.* HEIG. *p. 2. qu. 7. n. 39* : ita ex dispositione ad pias causas in scriptione privata consignata, modo requisitis supra dictis scriptura gaudeat, eandem competere non est dubitandum. Qua quidem in re alio tempore multi sumus futuri.

T A N T V M.



X 2368095



E. 18. num. 31. 1736. 6 10
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE
HIS

VAE INVLTIMA VOLVN-
ATE PER SCRIPTVRAM PRI-
VATAM DECLARATA PIIS
CAVSIS RELINQVVNTVR

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

VILIELMO HENRICO

E SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
GARIAE ET GVESTPHALIAE COMITE SAYNAE
ET WITTGENSTEINII RELIQA

P R A E S I D E

CASPARO HEIMBURGIO D.

ORE PANDECTARVM ORDINARIO TRIBVNALIS SERENISSIMORVM
CVM SAXONIAE QVOD IENAE EST NEC NON FACVLTATIS IV-
RIDICAE ET SCABINORVM COLLEGII ADSESSORE

VDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

PRO LICENTIA

AC SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS

DIE XXII. DEC. A. O. R. MDCCXXXVI

A V C T O R

ORGIVS PHILIPPVS RVPPELIVS

PALATINO - GRVNSTADIENSIS.

IENAE LITTERIS HORNIANIS.

